

π σ
493



Q.K.



Q. K. 376, 4

13
No
493

I. N. J. C.
DISSERTATIONUM PRIMA
De
REGNO MAGNÆ BRITANNIÆ

Quam
IN CELEBERRIMA WITTEBERGENSIUM ACADEMIA
AUSPICIIS INCLTT. FACULTAT. PHILOSOPH.
SUB PRÆSIDIO
VIRI PRÆCLARISSIMI
DN. M. GEORGII GREENII,
HOLSATI.
DOMINI ET FAUTORIS COLENDI.

Publico examini subjicit
AUTOR
BERNHARDUS FRIESE,
LUBECENSIS.

Ad D. xxix. Maji H. L. C.

WITTENBERGÆ,
In Officina FINCELIANA exscribebat MICHAEL METER,
Anno c^o l^o c LXVII.



716.



2.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





IN NOMINE JESU!
PRÆFATIO.

Vondam, cum magnorum bellorum tumultus, & rerum civilium mutationes pertimescerent homines; aut infelix quoddam sidus Republicæ malum portendisset, ad avium volatum, cantumq; ad intestinorum inspectiones unusquisq; quo circumspectior, & prudentior efficeretur, trepidè provolabat. Ariolorum scholas convenire, Augurum collegia visitare, & quis rerum exitus futurus, quæ periculis remedia adhiberi possent, curiosè scrutari, hoc Consulium studium, hæc Patrum indefessa erat cura. Ast feliciori auspicio videntur occipere negotium, qui non ad Haruspicum Ariolorumq; incerta oracula, nec fanatica intestina, sed, Auspice DEO, ad rerum gestarum annales, qui totius vitæ humanæ theatrum quasi positi, se conferunt; ex his rerum initia, fortunæ intervalla, rerum publicarum motus & actiones, populi indolem, & quis nexus causarum eventuumq; intuentes, ut prudentiores fiant, & qui oculis cerni non possunt, eventus rerum conjectura assequantur. Non enim historia tantum civitatum & Regnorum ortus, incrementa, conversiones, atq; interitus commemorat, aut hujus causas indicat, vel populorum status, alibi pace florentes, alibi bello afflictos recenset: Sed etiam humanis in rebus ita comparatum est, ut personæ & secula intereant, causæ & eventa eadem recurrant perpetuò, ut Strada scripsit. In quam rem dicere possem plura, nisi præclare iis defunctus esset Magnus Casaubonus præfat. in Polybium. Horum igitur solertem prudentiam imitari ego malui, quam illorum impiam superstitionem. Et dum duo potentissimi Populi, Angli puta & Belgæ, hisce temporibus inter se disident, & armis infestis concurrunt, cœpi consilium alterutrius natio-

A ij nis



4.
nis historiam perlustrare, atq; intueri Rempublicam. Et cum
animus gestiret, publicum quoddam ingenii periculum face-
re, non videbatur intempestivum, ea, quæ à probatis scriptori-
bus exponuntur, tibi certis comprehendere, comprehensa
publica ventilationi proponere. Neq; tamen à me accurata
status hodierni Anglicani delineatio expectabitur, qui eam
Rempublicam non nisi in chartis & pagellis Scriptorum vidi:
neq; tanta præditus sum ingenii felicitate, ut quæ perspicacissi-
mos sæpè fallunt, ego invenire possem. Sicuti perfecta ho-
minis forma, & absoluta imago, non ex statuis, aut pictorum
mappis, sed ex vividis spirantibusq; corporibus, quæ venarum
vivos ductus, arteriarum motus, membrorumq; agitationes ex-
primunt, concipitur: ita nec Reipublica alicujus absoluta ima-
go ex libris dabitur, nec notitia quæ homini Politico sufficiat.
Agam tamen pro viribus, & JESU meo Duce ex liquidis-
simis historiarum fontibus MAGNÆ BRITANNIÆ
REGNI originem, mutationes, & statum presentem explica-
re, tenui, ut ajunt, Minerva prosperante JEHOVA aggredior:
precibus FLAMEN MAGNUM fatigans, ut labori huic
meo adesse, & felicem cum initio finem imponere velit.

CAPUT I.

De MATERIA REGNI MAGNÆ BRITANNIÆ.

PARS I.

Exhibens Angliæ materiam.

§. I.

SECUTURI methodum explicandi Respublicas, quam *Conringius de prudentiâ
Civili cap. 12.* præscripsit, ut secundum quatuor causas expendatur civitas;
primo loco de materiâ, & quæ hanc spectant, dicemus. Et cum Britannia Reg-
num sit totum quoddam, quod ex tribus quondam distinctis Regnis coaluit,
Anglia dabit primam hujus capituli partem. ANGLIA, primaria & Regia
pars, varia, ex incolarum variorum migrationibus, & mutationibus, nomina
accepit. Dicitur BRITANNIA, quod nomen olim omnibus Insulis, quæ, inter Hi-
spanias, & Germaniam, magno terrarum spatio Gallia prætenduntur, com-
mune

5.

mune fuit: teste *Buchanano de rebus Scoticis lib. 1. pag. 1.* vel firmavimus *Plinio lib. 4 cap. 16.* (quæ etiam *Cassiterides*, vel *Cattiterides*, propter metalla *καττιτες*, seu stanni copiam & plumbi, apud *Melam lib. 3 cap. 6.* & *Strabonem lib. 3.* de quibus tamen observabis quod *Cluverus lib. 1. German. antiq. cap. 2.* annotat: *veteres Græcorum Scriptores Britannicas Insulas appellasse Cassiterides, sed in eo errasse, quod haud procul Hispaniâ sitas fuisse crediderunt.*) Postmodum Britannia vox vel solam Angliam, vel unâ cum Scotia, tanquam præcipuam Insularum designavit. Sic *Plinius l. cit.* utitur hac voce, & *Strabo lib. 4.* & alii specialitè utuntur. Tempore verò *Jacobi Sexti* in Anglia Regis, cæpit prior redire vocis significatio, quando Scotia Regnum cum Angliæ Hiberniæq; in unum corpus coit, quod refert *Thuanus lib. 131. histor. August. Unione potentissimorum Regnorum hoc agebat Jacobus, ut abolitis Anglorum & Scotorum nominibus, vetus Britannia Magna nomen in usum revocaretur,* Anglis licet ringentibus. An autem vocabulum hoc per duplex TT. scribi debeat, an per simplex T, disident Scriptores. Qui per duplex TT. scribunt, antiquissimis id temporibus factum perhibent, & ante Cæsaris tempora, uti innuere videtur *Buchananus rer. Scotic. lib. 1. pag. 5.* & *illustris Peireskius qui epistolâ ad Cottonum* misit nummum antiquum, in quo per duplex TT & simplex N scripta fuit hæc vox, teste *Gassendo in ejus vita pag. 133.* Et prior scriptio magis arridet; ita enim semper à Cæsare, & Virgilio, aliisque optimis Latinis Auctoribus exaratum est hoc vocabulum; nisi dicas, antiquos utramque scriptionem perinde habuisse, cum & apud Græcos modo duplici modo simplici T scriptum legas. Antiquissimum hoc nomen fuit, de cujus origine inter antiquos quidem non magnopere controversum fuit, nisi quod Græci *BRETTANIAM*, Latini *BRITANNIAM* eam vocabant. Inter recentiores verò sunt homines, uti eos *Buchananus* vocat, non tam veritatis cupidi, quam contentionis, quorum quisque pro sua derivatione, tanquam pro aris & focis contentionem init. *Luddus*, (qui *Lhuydus Camdeno in Britannia pag. 5.* dicitur,) Vir, qui in antiquitatis cognitione familiam quodammodo inter Auctores ducit, Insulam hanc non Britanniam, sed *Prudaniam*, vel juxta *Camdeni* testimonium *PRIDCAIN* nominat: quam vocem doctissimus *Buchananus* mirum in modum ridet, *lib. 1. Rer. Scotic. pag. 2. & seqq.* *Thomas Eliotus*, seu ut *Camdenus* *Eliottus*, *Prytaneiam* nominat, sed nec hanc approbat citatus *Buchananus*. *Bodinus* *Bretaniam* dici vult, & natales vocis petit ex lingua *Cantabrorum Hispaniæ*, deducitque à verbo *Cantabrico* *BRETA*, quod terram significat, unde *Alphonfus VII.* *Abreta* dictus, quod humi semper procumberet, & terram contrectaret, quod ex *Tarapha Hispano* annotavit *Method. Histor. s. 9. p. m. 547.* *Bochartus in Phaleg, seu Geographia Sacra part. 2. lib. 1. cap. 39.* (qui sæpius magis ingenii, quam veritatis gloriam venatur,) Phœnicium nomen esse suspicatur, compositum ex *ברתא אג* id est, ager, seu terra stanni & plumbi (à quâ conjectura etiam *Bodinus* loco citato propè abesse

6.
videtur.) *Goropius, Becanus*, vir qui nimio patriæ lingvæ studio ducitur, Britanniam à Danis nomen accepisse ratiosinatur, qui ex Norvvegiâ egressi occuparunt hanc partem, & Britanniam dixerunt quasi Brithaniam, sive Bridaniam, id est, liberam Daniam *lib. 7. in Gotodanicis pag. 761.* Sunt & qui à Prutenia Germaniæ Regione; aut à Brutiis Italiæ deducunt. Ut de eo non dicam quod *Forcatulus lib. 7. de Gallorum Imperio & Philosophia* finxit, nec quod *Cluverus German. antiq. lib. 1. cap. 9.* Britannum, unum ex quinque Ascenazis filiiis, qui has Insulas occupasset, nomen dedisse putat. Cum Camdeno multi viri illustres faciunt, qui ab antiquâ voce Britannica BRITH, quod coloratum significat, (olim enim se Angliæ incolæ colore cæruleo, seu glasto inficiebant) derivat; censens, à Græcis vocem TANIAM additam esse, quæ Regionem denotat, quasi coloratorum Regio. *Camdenus in Britannia pag. 27. & Dalechampius ad lib. 4. cap. 16. Plinii.* Sed quis in hisce tenebris inveniet verum? & cuinam continget eligere certum, ubi nihil dubiis caret? II. Alterum nomen quo Anglia insignita est ALBION. Albion dicitur Anglia, & hoc inter nomina antiquissima Insulæ fuisse creditur. Ita appellat eam *Aristoteles in lib. de mundo, Plinius lib. 4. cap. 16. & alii scriptores.* Videtur autem nomen hoc commune fuisse & Angliæ & Scotiæ, nam Scoti suam Regionem ALBIN, se verò ALBINICH vocant; teste *Buchanano lib. 1. rer. Scoticar.* Superfedemus recitare omnes opiniones, quas de originatione hujus vocis ingenium humanum effinxit; variæ n. derivationes hujus nominis, sed fabulosæ, ut plurimum fieri solet, proponuntur. Sunt qui ab Albiis Gallis ita dictam putant: alii ab Albione petunt nomen, Neptuni filio, quem aliquando Britannia Regem fuisse commemorant: quorum opinio ut audax mendacium à Buchanano Scoto rejicitur; & si Camdeno fides est adhibenda, à Græcorum vanitate, fabulofitate, & desultoria illa infingendis nominibus levitate orta est hæc vocis origo. Vero similior sententia videtur, quæ Albion ab albo colore, seu albis rupibus, quæ ad eam navigantibus primo apparent, dictam putat. Quamquam Buchananus, qui tamen ab hac opinione totus non abhorret, existimet ab altitudine montium satius potuisse appellari Albion, quoniam album non modo coloris, sed altitudinis nomen est, ut prolixè probat *lib. 1. Rer. Scoticar. pag. 11.* Goropio Becano in Saxonice hic hæret animus, cujus verba sunt *p. 636.* ALBION, an ab ALB, id est, ALBO an ab ALP, id est monte dicatur, incertum, tum & montibus, & albo cretaceæ glebæ colore, procul inspicientibus sit insignis. Sed Doctorum plerique potius in ea derivatione, quæ ab albis promontoriis, & rupibus Albion vocatur, acquiescunt. III. SAXONIA TRANSMARINA dicitur Britannia à Gente Saxonica, quæ hanc Insulam occupavit. Ita eam vocat *Bonifacius Episcopus Moguntinensis*; & certè tunc temporis, quando hæc appellatio suborta est, oblitteratum, & oblivione ferè deletum Britannia nomen. IV. ANGLIÆ nomen tandem accepit hæc Provincia ab Anglo-Saxonibus, qui
maxi-

maximam hujus Insulæ partem armis conquisiverunt, &, quod *Camdenus* refert, *Egbertus* Occiduorum Saxonum Rex hanc terram promulgato edicto *Engelonth* vocari jusfit, id est, Anglorum terram, *Engeland*. unde latina vox Anglia dicta, ab Anglis facta appellatione. Et ludicra videtur illorum sententia, qui Angliam, quasi orbis nostri angulum dictam volunt. Item qui ab Anglâ Regina, & Ductrice Saxonum in Britanniam, appellatam volunt. Nomina Synonymica alia, & descriptiones, quæ apud Poëtas inveniuntur, ut, cum vocatur Insula Cærulei, quoniam circumfusa Oceano, qui cæruleus Poëtis dicitur, & alia brevitatis gratia omittimus.

§. II. Habet Anglia Insulæ ferè formam, sed non perfecta Insula est. totam penè mare cingit, excepta parte, qua Scotiæ Regno adhæret, hac enim terrestri itinere transitus datur. Sunt ergò versus Septentrionem termini Scotiæ fines, & ad Barvvicum oppidum dirimitur Anglia à Scotia, monte altissimo Zeviota, nec non Esca & Solveo fluminibus, & fluvio Tueda juxta versuculos:

*Anglos à Pictis sejungit limite certò
Flumen, quod Tuedam pristina lingua vocat.*

Olim versus Scotiam Anglia provincialis, quæ Romanis parebat, aggeribus distincta, atq; contra Barbaros, Pictos, Gotosq; munita erat. *Herodianus lib. 3. cap. 14.* Primus murum cespitium, qui Barbaros Romanosq; divideret, inter Tinæ & Escaë fluminum æstuaria, per octoginta millia passuum duxit Hadrianus Imperator, teste *Ælio Spartiano in Hadriano cap. 11.* Severus deinde novum addidit in angustiis hujus Provinciæ, & quidem Latericium. Horum vestigia hodiernum reperiri, & mappæ ostendunt nonnullæ, & Scriptores testantur. *Buchananus lib. 4. de Regno Scotiæ pag. 108. & seqq. Beda & Camdenus l. c. p. 642.* ex quibus commentariis ea disces, quæ in controversiam veniunt, adde *Camerar. hor. succif. Centur. 1. cap. 28.* reliqui termini ab Oceano ponuntur. Et versus Orientem alluit Angliam Oceanus Germanicus, versus meridiem Britannicus, vulgò *der Cannal* / versus occidentem mare Vergivium, & Hibernicum. Refert figuram triquetram seu triangularem, (unde ob eam figuram cum Sicilia conferunt) testatur id *Cæsar lib. 5. de bello Gallico*, cum quo consentiunt *Strabo, Camdenus & alii.* Tria enim habet latera Anglia, tresq; angulos, unum *die Kap auf Cornwahl* / alterum Cantium, item *The Forelandt* / tertium *Tarvedum* vel *Tarvisium* item *Dünnsbiehedde.* *Livius* tamen & *Fabius Rusticus* oblongæ scutulæ sive bipenni asimularunt. De longitudine, latitudine & ambitu, quæ dici possint peranturex *Camdeni Britannia & Riccioli Geographia reformatæ lib. 3. Periegetico cap. 10. aliisq; libellis Geographicis.*

§. III. Regionum divisiones variis modis sunt. Dividuntur interdum vel secundum situm fluminum & montium, vel secundum Gentium habitaciones,

tiones, vel Politicè, juxta Principum voluntates & jurisdictiones. Angliæ di-
 visio temporum intervallis varia fuit, aliter divisio instituta fuit à *Ptolomæo*,
 qui in magnam & parvam divisit, & Scotiam simul inclusit. Aliter à Roma-
 nis, uti ex *Dione* colligitur, qui in inferiorem & superiorem, item in partem
 maximam, Cæsariensem, Britanniam primam & Britanniam secundam divide-
 runt. Et quæ aliæ Romanorum divisiones, quæ recensere nimis longum foret.
 Alfredi verò Regis tempore, cum solus ille gubernacula Regni teneret, divisio
 Angliæ in comitatus facta, ut hac divisione remedium rapinis, & deprædatio-
 nibus latronum faceret. Comitatus porrò in centurias & decimas divisit, at-
 que speciali nomine *schyrs* (quod vocabulum ex lingua Saxonica, quæ partiri
 & dividere *schyren* vocat & *schyr* quasi distinctum & determinatum) appel-
 lavit. Simile remedium adhibuit superioribus annis Germania nostra, cum
 multis latrocinis & deprædationibus intra viscera sua infestaretur. Divisit
 Imperium in certas partes, quæ circulos vocavit, quibus singulis Capita, seu
 Duces constituit, ut pacem publicam sartam tectamq; custodirent, quod ex
declaratione pacis publicæ Norinbergæ anno 1522. aliisque Recessibus Imperii cognitum
 est, addatur *Conringius præfatione in Politicam Aristotelis*. Quamquam autem
 illa rerum publicarum partitio, non semper feliciter cedat, & sæpius vel occa-
 sionem præbeat disidiis, vel sufficiat alendis; haut tamen inficias ire possunt
 Prudentes, maxima Imperia, nisi in partes distincta, commodè vix regi posse.
 Si ex partitione disidia procedunt, statim ab initio huic malo ponatur obex,
 & eò circumspèctiùs ac prudentiùs instituantur Provinciæ, ut omnis rima se-
 ditionibus obstruatur. Non verò sola partitio eam potest medicinam fa-
 cere, sed maxime id bonis legibus tribuendum: quod liquet ex oratione Can-
 cellarii Angliæ ad Parlamentum apud *Verulamium in Vita Henrici VII.* Hoc
 tantum efficit illa distinctio, ut, multiplicatis Magistratibus, qui singulis Pro-
 vinciiis præficiuntur, non ita latere possint hominum actiones, sed observari
 magis vitia, & in effectum dari, quæ bonis legibus sunt constituta. Dividi-
 mus ergò & nos Angliam ex communi opinione in *Lagriam* & *Cambriam*.
Lagria ab initio in 32, postmodum sub *Gvilhelmo I.* in 36, hodie in 38. comita-
 tus divisa est. *Cambria* verò in 13. Comitatus. Nomina, statum, & qualitatem
 singularum Provinciarum, ex omnibus libellis Geographicis, vel, si mavis, co-
 gnosces ex *Camdeno*, qui summo studio Angliæ descriptionem jussu *Jacobi*
Regis adornavit, postquam septennali peregrinatione, multas sustinens itine-
 rum molestias, omnia loca, Provincias, Regiones, montium cacumina, sylvas,
 oppida, pagos, villasq; ipse inspexisset. Unde ipsius chorographica descri-
 ptio locum partemq;, in *Atlante* majori *Blauen*, quod perfectior non reperi-
 retur, meruit. De *Cambriâ*, quæ & *Wallia* dicitur, illud notandum, quod pri-
 mogenito Regis Angliæ filio, & successori, subdita sit, qui inde *Wallia Princeps*
 dicitur; pari ratione atq; in *Gallia* *Delphinus*, &c. conferatur. *Limneus lib. 2.*

31.

I P. cap. 15. num. 5. Sed liceat digredi parumper, & institutum hoc ab ovo, quod dicitur, repetere. Vocati quondam contra Pictos Scotosq; in subsidium Saxonum eiecerunt sedibus suis indigenas Britannos, eosq; in regiones mari Hybernico & Vergivio proximas, (quæ nunc sub nomine Walliæ & Cornubiæ veniunt) quasi compegerunt. Hi tunc dicti sunt Saxonibus Anglis *Welhs, id est, peregrini*, ac postmodum Walli *vid. Camdenum p. 18.* & inde Provinciis ipsis Walliæ & Cornvalliæ nomen hæsit. Hæc deinceps partes magna animositate contra Saxones tuiti sunt prisca Incolæ, & plura dedere damna vicinis Saxonibus, quam acceperunt. Hæc ratione Anglia in duo Imperia fuit divisa usq; ad tempora Eduardi I. Regis Angliæ, qui Walliam, ante jure Feudali subjectam (ut loquitur ipse Eduardus) in dominium proprietatis sibi convertit; & cum in pugna Leolinum, Walliæ Principem, feliciter fudisset, nervosq; principatus Walliæ incidisset, Walliam Regno Angliæ adunivit, filiumq; suum designavit Principem Walliæ: nec non constituit, ut filiis Regum successoribus & Provincia hæc servaretur & titulus, quo successores Walliæ Principes dicerentur. *Vide Camden. pag. 551. Britannia. & Arnif. de Republ. pag. 427.* Addidit postmodum Eduardus III. huic principatui Walliæ Cornubiam, atque voluit, ut Walliæ principes Cornubiæ quoque Duces audirent, *Camdenus pag. 126. Britann.*

§. IV. Ornamenta harum Provinciarum sunt florentissimæ & amplissimæ urbes, plurimæ quidem, sed recensere omnes nimis longum & extra institutum nostrum foret; nonnullarum saltem faciemus mentionem. **UCELIA** hodiè *Lesturbiel* primarium est Corn-Walliæ oppidum, ubi Vice-Comes singulis mensibus causas dijudicat, hic Metallicorum Præses suos carceres pœnales instituit. **LANHERON** in eadem Provincia est sedes Equestris familiæ Arundelliorum. Quod nomen Comitum Arundellia propterea quoq; nobis celebre est, quod Illustrissimus Thomas marmora illa græcè incisa, quæ Seldenus commentariolo illustravit, auspiciis & impensis suis ex Asiâ afferri curavit. **ISCA DANMONIORUM** vulgò *Excester*, ad Iscæ ripam, à Malmesburiensi maximè extollitur ob magnificentiam, incolarum opulentiam, convenarum frequentiam, commerciorum abundantiam, Ecclesiarum Parochialium multitudinem, jucundum in mare prospectum, omniumq; rerum in solo sterili copiam. In Provincia Sommerfeto sunt **AQVÆ-SOLIS** vulgò *Bathe*, hæc, propter thermas salubres, quæ ab exteris visitantur inclaruere. **VENTA-BELGARUM** *Bristol*, urbs & commercii & ædificiis nobilis. Regio quæ circa est progignit Adamantum quandam ignobiliorem speciem, urbs verò ipsa natalem dedit Comitibus de Barckley. In comitatu Cestrensi situm est oppidum **CESTRIA**, hîc sepulturam Henrici IV. Ex-Imperatoris Germanici factam refert *Camdenus*, quod meritò improbat refutatq; *Reinesius variarum lectionum lib. 7. cap. 16.* ostendens, Imperatorem hunc esse Spiræ inhumatum. Adderem

B

de

de aliis oppidis plura nisi omnia fideliter consignassent *Camdenus*, & *Zeilerus* in itinerrario *Magna Britannia*, & nuper *Chronicon Magna Britannia* editum *Frankfurti* anno 1666. aliq. Non enim proposuimus nobis Geographiam conscribere. Illud tamen prætermittere non possum, quod *Camdenus* inter laudes *Cornubiæ* & illud referat, quod in *Cornubiâ* *Ursula*, *Magnæ sanctitatis* virgo, nata fuerit, quæ exercitum XI. millium virginum ex *Anglia* contra hostes *Ecclesiæ* eduxisse traditur. Vid. *Sigeberti Chronicon ad annum Christi 455.* qui exercitus totus apud *Coloniâ* *Agrippinam* ab *Attilâ* interfectus est. Unde *Colonia* hodiernum in templo *Sanctæ Ursulæ* harum virginum reliquias ostentat. & confirmat idem *Gretserus* in *observationibus* pag. 180. & seqq. Verùm enim verò fabulam pro more hic venditant *Papistæ*, & cuncta fabulosa esse ostendit *Hornbek.* in *notis ad Bullam. Urbani VIII.* p. 241.

§. V. Inter omnes verò urbes caput erigit *Londinum*, totius *Angliæ* emporium, & orbis epitome: de quo idem ferè dicere licet, quod de *Lutetiâ Parisiorum* *Grammondus* lib. 7. *hist. Gallica* p. 127. De primis *Londini* urbis initiis & Conditore, quanquam pleraq; dubia sint, legi poterit *Ponticus Virunnius* seu *Virumnius* (*Trithemio Virinius*) qui sex libros de *Anglia* conscripsit, & *Johannes Zelandus* in *Indice* de antiquis nominibus, ad *Genethliacon* Principis *Cambriæ* *Eduardi* apposito, *Paulus Jovius* in *descriptione urbium Anglicarum*, & *Polydorus Virgilius* in *historia Anglicana*. Sita est commode ad *Thamisi* fluvium, qui urbem in duas quasi partes dividit, quas pons lapideus conjungit (cui, ut *Angli* jactitant, similis pons in toto mundo non reperitur) cujus descriptionem dedit *Paulus Hentznerus* in *itinerrario Angliæ* pag. 170. De *Thamisi* si quid scire cupias, compositus est fluvius, & compositum ejus nomen. *Isis* enim & *Pama* distincti confluentes sub oppido *Doreestriæ* & undis & nomine coeunt, atq; permista unda *Londinum* dividentes tandem in *Oceanum* se præcipitant. Vid. *Camd.* p. 295. Fluvius hic magnarum navium capacissimus est, tantasq; orientis & occidentis opes quotidie invehit, ut cum orbis *Christiani* emporis de secundâ palmâ hodie contendere posset *Londinum*. Stationem præbet navibus tum fidissimam tum pulcherrimam. Inde merces ingrediuntur plurimæ ex *Asia*, *Africa*, & omni cœli plagâ petitæ. Urbs ipsa spaciosa est & amplissima, sed ædificiis magnificis, nisi paucis in regionibus, non superbit. Ornamento est *Turris Londinensis* propugnaculum haud ignobile, in quo sceptrum, corona, & reliqua insignia *Regni*, cum supellectili regia asservantur. Nec non *West-monasterium* templum, *Regum Angliæ* inauguratione, & sepulturâ celebre. Deindè *Aula Regia Whitehal*, (quasi *Aula alba*) & collegia splendida, inter quæ *Collegium Greisheimense*, quod *Gymnasii* formam habuit, eminet. In quo singulis septimanis conveniunt *Virtuosi Angliæ*, uti nuncupantur, & *Conventus* ipse *Collegium* sive *Academia Virtuosorum* dicitur, *Institutum* illud à *Carolo II.* hujus nominis, ut partes quasdam *Mathe-*
mati-

11.
maticas, Phisicamq; , quam experimentalem dicunt, excolerent. Membra hujus Collegii sunt eruditissimi totius Angliæ. Præses sedet nomine Regis, & sceptrum ipsi Regia præferuntur, & quotannis mutatur. Emblema Collegii est tabula rasa, hac ornata inscriptione: NULLIUS IN VERBA. Aliquam, sed satis fidam descriptionem hujus illustris Conventus reperies in *relatione itineris Hispanici & Anglicani, quam novissimis nundinis Germanicam fecit D. Johann. Makle p. 399. 405 seqq.* Quod civitatis statum attinet, cives in corpora sive Collegia distributi sunt. Urbs ipsa divisa in 25. Regiones, sive Tribus. Imperium civitatis est penes 24. constitutum, qui ex ætate *Audermans*, sive Senatores dicuntur. Et cum antiquitus pro summo Magistratu **Portgreven** / id est, urbis Præfectum habuissent, duos Ballivos (de cujus vocis significatione Vid. *Henricus Spelman in Glossario p. 67.*) instituit Richardus. Horum in locum justit Johannes Rex, ut *Majorem*, sive Prætorem, annum Magistratum suis suffragiis, è 12. primariis Societatibus corporibus eligerent, duosq; vice-Comites, alterum Regium, alterum Urbanum dictum nominarent. Vide quæ de Prætore habet *Hentznerus Citatus pag. 192.* Verùm quo medio quibusve auxiliis hæc urbs ad tantam amplitudinem creverit, annotavit *Bodinus Lib. de Republ. 1 p. 59. Londinum*, inquit, *nec tantis opibus, nec tantâ multitudine civium abundaret, nisi Richardus Rex Angliæ, omnes immunitates, civibus tributas, peregrinis proposuisset, qui modò 10. annis urbem incoluissent.* Veram indicasse causam videtur *Bodinus*; eò enim, ubi mercaturæ est sedes, facile confluunt incolæ, quos studium divitiarum, & amor habendi, qui plerisq; animis insidet, attrahit. Nec tamen leve augmentum dedit Londino, quod Emporium Civitatum quondam Hanseaticarum fuit: *Vid. Livonium Lib. 7. J. P. C. 1. num. 74.* Adeò verò aucta est illa urbis magnitudo, ut hodiè ferè impatiens sui sit, & periculum, ne mole suâ ruat, aut in ruinam trahat Angliam. Nam sicut ea optimè valere censemur corpora, quæ justam membrorum servant magnitudinem; tunc verò attraxisse vitium judicamus, quando unum ex membris turgescere incipit, & reliquis præripit nutrimenta. Ita minùs rectè constituta est Respublica, cujus quædam civitas in immensum crescit. (quod & de Lutetia Parisiorum judicandum) Non enim potest non multâ fæce populi, & otiosis hominibus abundare, quorum in ganeis, crapulâ, furto, aliisque malis artibus, præcipua sunt studia: A quibus eò magis sibi metuendum habet Imperium, quo proclivius Gentis est ingenium ad seditiosos motus. (Quod de Anglis maximè verum.) Sed institutum non est explicare semina vitiorum, & pericula magnarum urbium. Illud saltem adjicio, quod *Jacobus VI. de Londino* judicasse fertur: Vereor, ne non magnitudinem hujus Capitis Corpus ferre possit. Anno superiori 1666. miserè amplissima hæc urbs incendio concidit, sed splendidior resurget.

§. VI. Duæ sunt urbes Archi-Episcopales, altera Cantuaria, vulgò Canterbury, altera Eboracum, vulgò Yorcke. Archi-Episcopatus Cantuariensis institutus ab Augustino, Anglorum Apostolo, teste Camdeno. Urbs sita in loco valdè amœno, inclyta templo magnificè extructo, quo, ut putant Angli, amplius in toto mundo non datur, imprimis cùm templo subterraneo ornatum sit. Archi-Episcopatus Eboracensis institutus à Constantino Imperatore, cui olim etiam Scotia fuit subiecta, quæ nunc defecit. De Urbe ipsâ conferri poterit *Camdenus*. Duæ etiam Academiae celeberrimæ florent in Angliâ, Oxoniensis, & Cantabrigiensis. *Mercator in Atlante* tertiam addit, Londinensem. Sed longè alio sensu hoc Gymnasium dictum est Academia. Oxoniensis Academia, Britannico jam seculo fuit constituta, sed collapsam iterum Rex Alfredus tribus Collegiis constitutis restauravit. Maximè celebris est Academia hæc, tùm famâ Clarissimorum Virorum, tùm Bibliothecâ instructissimâ, (quæ post Vaticanam meritò secundum locum meretur) denique Collegiorum splendidis palatiis. Sunt autem Collegia hæc loca, in quibus Studiosi literarum aluntur & degunt. Fundamentum Bibliothecæ, quæ in Collegio Publico Jacobi VI. posita est, jecit Bodlæus; augmentum fecerunt Seldenus, & Episcopus Wilhelmus Laud. Qui variis Manuscriptis Arabicis, Syriacis, Æthiopicis, Græcis, Rabbincis &c. pretiosissima hujus Corporis parte, dotârunt. De Institutis Academiae, & quæ sit ratio victus & studiorum, quo habitu vestitus distinguantur Docentes, Discentesq; , Doctores, Magistri, Baccalaurei, qui Magistratus, non vacat dicere. Evolvatur *Zeileri Itinerarium*, & *Descriptio Oxonii*. Altera Cantabrigiensis, quæ juxta *Camdenum* in loco parùm salubri instituta est Anno 375 à quodam Cantabro Hispano. Collapsam restituisse traditur Sebertus Orientalium Anglorum Rex Anno 630. post CHRISTUM. Sed *Zeilero in Itinerario p. 213.* hæc incerta sunt. Hinc potiùs ab Eduardo I. hanc introductam putat.

§. VII. De portibus & aliquid dicendum, qui propter securitatem, nec non commoditatem navium, & commerciorum, à natura & arte facti sunt. Unde manifestum est, judicium de commerciorum felicitate, & Regni securitate, imprimis in Angliâ à portuum constitutione pendere. Quæ verò momenta observari debeant in hoc judicio, exposuit prolixè *Ricciolus Lib 10. Geograph. Nov. reform. cap. 9. num. 2.* dum conditiones portuum realium persequitur. Laudatur maximoperè Anglia, à portuum commoditate, ad recipiendas naves majores. Est *Sandwicum*, quo Belgarum & vicinorum naves frequenter appellant. *Dubris*, vulgò *Dovers*, ubi trajectus datur ex Galliâ in Britanniam. Hic Venetorum & Gallorum naves onerariæ mediocres, negotiandi causâ eò profectæ, solidam ferè habent stationem. Item *Richet*, ubi portus valdè commodus. *Plemouth* portus nobilis, realis, optimusq; Anglorum, qui maxima navigia in sinum, minimè deductis velis, admittit. Plerumq; ad hunc portum

13

portum onerariæ mercatorum naves ex Hispaniâ appellunt. *Falemouth* portus est realis, cujus fauces, ad Reipubl. præsidium, & hostium terrorem, Castella duo muniunt. *Harwichius*, portus realis, cuicunq; navi tutam stationem præstans. *Rocestria* portus realis, & catenâ clausus, ubi Classis Regia navium circiter 50. stationem capere potest. Est & *Chattan*, opportunum navium & Classis receptaculum, & plurimarum navium bellicarum fabrica. *Barwikum* oppidum portum habet commodum & amplum, cum validissimo præsidio. Sunt plures in orientali littore portus, in quos è Norvvegiâ, & aliis Septentrionalibus Regionibus divertunt. De quibus legi potest *Philippus Honorius in Descript. Portuum & Arcium Angliæ. Ricciolus Lib. 10. Geograph. cap. 10. num. 5.* Arces munitæ non reperiuntur in Anglia, nisi in portibus, (de quibus *Boterus in Relationibus de præcipuis Rebuspubl. cap. 2.*) neque indiget. De Polonis memorat *Sprengerus in Axiomatibus Status, quæ sub titulo boni Principis edita sunt, Axiom. 7. & 18.* Quod Castella non extruant, vel diffidentia sui Regis, vel confidentia propriæ fortitudinis. Sed Angli aliis ex causis negligunt Fortalitorum curam in Mediterraneis partibus, videlicet 1. quod Oceano circumdati hujus undis defenduntur. 2. quia periculosum est in gente seditiosâ Castellorum multitudo: Sunt enim Arces & Munimenta Magnatum ambitionis aggeres. *Leg. Forstneri Discursus ad Tacitum.* Quo nomine Henricus II. Angliæ Rex, omnes Procerum Arces mœnibus nudavit, quò tranquillior esset Respublica. Et hanc velim causam esse credas, quòd in Angliâ seditiones citò comprimi possint, cum vix inveniant, ubi se defendant.

§. VIII. Ad solum Angliæ ipsum, ejusq; qualitatē, lustrandum nunc me converto, ut de iis nobis constare possit, quæ importantur, & exportantur, & in quibus sibi ipsimet sufficiens sit. Est verissimum Angliæ encomium, quo deliciarum hortus & puteus inexhaustus nominatur. Terra etenim ut plurimum plana est, amœnis, & fertilibus colliculis distincta, qui leniter, & ita paulatim assurgunt, ut eos è longinquo intuentes, à planitie vix distingvere possint. Est quidem Anglia vicinior Septentrioni, nihil ominùs maris beneficio, aut occultâ siderum virtute aëri benignus & temperatus est, & densior humidiorq; , quàm rigidus, & frigidus, in quo rara audiuntur tonitrua. Miramur *Bodinum de Republ. p. m. 774.* ex literis Nualli Legati ad Henricum III. scripsisse, magnam caloris vehementiam in Angliâ æstatis tempore sentiri. Nisi enim præter ordinem naturæ incidisse hunc caloris æstum credas, vix stare poterit hoc testimonium cum consensu doctissimorum hominum. Ponimus verba *Gotofredi ex part. 1. Archont. Cosm. p. 350.* Aër hujus Insule paulò crassior est, aptus ad generandas nebulas, pluvias, ventos, cateraq; meteora, quorum frequentia aër ita incrassatur, ut neq; frigoris ibi, neq; caloris magni sentiantur excessus. Vulgares morbi sunt rariores, quàm alibi, ut minus in Angliâ in medicamentis impendi arbitrentur, quàm in ullo alio Europæ Regno. Observatum tamen est,

B iij

Angliam

*Angliam sæpiuscule morbo pestilenti tangi, tentariq̄, & si quibusdam credimus, quare-
 zo quodq̄ anno. Pestilentialem illam luem etiam proximis annis experta est An-
 glia, ut vix hodiè convaluerit. Nam ita solet facilè aër humidus, aspirante
 Favonio, malignitatem quandam contrahere. Adde, quæ Verulamius de Mor-
 bo Epidemico, qui sub Henrico VII. Angliam afflixit, & febris sudorifera di-
 ctus est, *historia Henrici VII. p. 19. seqq.* narravit. Ipsum solum humidius
 quidem sed & calidum, omnium frugum & frumenti admodum ferax est, ut
 non solum incolis sufficiat ad victum, verum de frumento exteris etiam mit-
 tere soleat. Testatur *Chronicon Magnæ Britanniæ*, solum adeò frugiferum
 esse, ut si cultura diligens accedat, hordeum ultrò sine satione proveniat; ex
 quo cerevisiam coqvunt admodum gratissimi saporis, & quæ facilè inebriat,
 ut in *Itinerario Hentznerus* refert. Capiuntur hujus dulcedine non solum In-
 colæ, sed & exteri, qui eam copiosè in Belgium, Hamburgum, Hafniam, & aliò
 exportant. Colliguntur etiam in Angliâ multa legumina. Fert omnis ge-
 neris arbores tellus Angliæ, quæ & Classi parandæ, & domibus extruendis a-
 ptæ sunt. Rosmarinus & alii frutices succrescunt in sylvis. Sed caret vitibus, o-
 leis, malis aureis, & citreis. Iis, quæ intra terram gignuntur, abundat. Nam
 est metallis dives, & producit aurum & argentum purissimum, optimæq̄; notæ.
 Nec corrumpunt eam puritatem monetæ aurariæ & argentariæ officinatores.
 Undè in Angliâ pura & optimi valoris moneta reperitur. Et ne exportetur,
 severissimis sanctionibus cautum est. Henricus VII. tulit legem: *Ut in pecuniis
 persolvendis nulla fieret solutio in auro quibuscunq̄; mercatoribus alienigenis. Quan-
 doquidem aurum ejus generis metallum sit quod facillimè, & in occulto transportari
 possit. Verulamius in historiâ Henrici VII. p. m. 133.* Idem Rex (qui alter Salo-
 mon dictus est, ob prudentiam summam, quam potissimum in legibus feren-
 dis ostendit) sancivit legem, quâ jubentur mercatotores peregrini pecuniam,
 ex mercibus allatis acceptam, iterum in merces nativas Regni impendere,
 transgredienti hanc legem pecunia omnis adimitur, & ad fiscum Regis da-
 mnatur. Idem *Verulamius in Libello citato pag. 110. & alibi.* Sic Anglia nun-
 quam monetâ probâ caret, (nam licet et: nummos externos recipiat nõ nisi ju-
 sto pretio recipit,) & thesauri Regni eripi non possunt, dum exportari prohi-
 bentur. Quod etiam facillimè in effectum dare potest, quoniam mari undiq̄;
 clauditur, & qui exeunt ex portibus solvunt, ubi ab Inqvistoribus Regiis ob-
 servantur. Non equidem exportatio paucorum nummorum omninò prohi-
 beri potest: sed modica hæc parùm nocet Regno diviti. Accedit deindè &
 hoc, quod Angliæ terra multa præbeat, quibus merces alibi natas & necessarias
 sibi permutare possunt. Abundant porrò venæ terræ ferro, cupro, stanno: &
 hoc est ita nobile, ut non ei simile in quoquam angulo terrarum inveniat, &
 tantâ copiâ crescit, ut undiq̄; exportetur; ex quo vasa ducuntur, argenteis ful-
 gore comparanda. Ferri & cupri non tantus proventus est, sed vix sufficiens.*

Pro-

5.

Producit & lapides pretiosos quosdam, & marmora viliora. Propter pascua læta innumeros greges ovium alunt Angli, qui sine pastore, etiam tempore hyberno, securi à lupis & frigore oberrant. *Vid. Barclai Euphorm. part. 4. cap. 4.* Dixi securos à lupis pascere, nam lupis caret Anglia, cujus rei causam lege *apud Camerarium Centur. 1. Horarum subcisc. 28. & Limn. J. P. L. 6. cap. 6. num 103.* Sed quod Limnæus refert, Edgarium Vifi Saxonem Luduallo cuiusdam Nobili tricenos lupos, in singulos annos, vectigalis nomine imperasse; id alii ita invertunt, quod Luduallus, Princeps Walliæ, hoc tributum Edgardo Regi quotannis imperaverit. *Conf. Chronicon M. Britannia Lib. 1. p. 35.* Oves majores sunt, quàm nostrates, & lanam tenuissimam gerunt. Indè panni delicatissimi, qui magno numero in Germaniam, Poloniam, Sveciam, & alias Regiones, ubi magno in pretio sunt, vehuntur. Inprimis Belgæ magnam copiam panni & lanæ accipiunt ex Angliâ. Undè non immeritò lana hæc aureum vellus Hollandorum dicitur, (*gülden Fluß der Holländer*) lege omnino Camd: In vitâ Elisabethæ pag. 106. Ostendi nunc fundamentum divitiarum Anglicanarum, pannum & lanam, quantum ex hisce quotannis colligant, auri & argenti difficile est ad fidem dicere. Hoc perpendens Henricus VII. suos subditos, ut majorem operam pascuis & ovibus educandis darent, quàm colendis arvis, hortatus est. *Verulamius lib. cit. p. 127.* Producit Anglia armenta majora, quàm in nostris Regionibus reperiuntur. Ferunt cornua maxima, & carnem delicatissimi saporis in cibum præbent. Verba sunt *Auctoris Chronici M. Britannia L. 1. p. 3.* *Man findet in diesem Lande schöne weiße Kühe / aus deren Schmeer und Unschilt Öl kan gemacht werden / so werden auch daselbsten sehr grosse / starcke und ganz wilde Stiere / mit krausen zottlichen Haaren gefunden / welche an Stärke und Grausamkeit den Löwen nichts nachgeben.* Equos habet hæc Regio parvos quidem, sed celeres admodum, & ad cursum pernitem induratos. Sed malè habentur ab equitibus, ut Germanis proverbium natum sit: *Engelland ist der Weiber Paradis / der Knecht und Diener Fegefeuer / und der Pferde Hölle.* Molossos præstantissimos gignit, itemq; canes venaticos sagaces admodum. Cuniculis, ut & omnium volatilium, tam sylvestrium, quàm cicuratorum genere referta est, ut nulla Europæ Regio abundantior. Commendantur inprimis capones & galli à magnitudine (quos interdum benè saginatos, ex Atheniensium instituto, de quo *Cælius Lib 17. c. 23. & Plinius L. 10. cap. 21.* ad pugnam committere solent; spectatoriibus inter te magnis sponsonibus de victoriâ certantibus.) Anserculi Britanni gustus sunt admodum delicati, perdicum, Phasianorum, coturnicum, alaudarum, merularum, turdorum, luculentum hîc aucupium. Piscibus varii generis abundat; Ostrearum, luciorumq; caro est ibi magis sapida, quàm in aliquâ aliâ Europæ parte. Halecum tanta in Oceano, confini littoribus Angliæ, datur copia, ut, secundum quorundam supputationem, quotannis tria millia navium iis complere

plere possint Belgæ, qui huic lucro maximè inhiant. *Conf. Abrahamus Gölnitz in Itinerario Gallo-Belgico, & Auctor Libell. INTEREST von Holland/* testans, in Belgio ex capturâ halecum quotannis 65000 hominum victum sibi quære-
 re. Quod lucrum malè habet Anglos, invidentq; Belgis, atque à piscatione ar-
 cere laborant, pertexentes causam, quod intra limites Angliæ Regni fiat. Contra quos se Batavi antiquâ possessione defendunt, solventes exiguum canonem in testimonium domini directi. Quæ controversia etiam hodiè inter causas belli censetur. Pro hoc jure piscandi occultis armis pugnat Grotius Libro, quem scripsit, *de Mari libero*, de quo postmodum. Hæc sunt quæ proveniunt in Anglia, quibus aut abundat, aut non eget. Ea nunc attingenda sunt, quibus caret. Vina aliundè petunt Angli, Aurelianensia, Gasconica, Rhenana, Hispanica & ex Insulis Canariis &c. Oleum non habet, nec lupulum, neq; aromata. Egent Angli pice, & lino, itemq; malis ad rem nauticam, & aliis quibusdam rebus. Sed defectus harum rerum facile refarcitur, dum ea vel ipsi ab exteris petunt, vel ab iisdem inferuntur: Situs enim Insulæ commoditas facit, ut à mercatoribus Lusitanis, Hispanis Francis, Flandris, maris Baltici accolis apprimè frequentetur. De commerciis, quæ ipsi cum Belgis faciunt, judicare ex illis licet, quæ Ludovicus Guicciardinus tradit: Commercium ante tumultum Belgicum, æstimatum fuisse ad 12 milliones aureorum quotannis. Cæterùm negotiantur Angli in Cathajâ, Alexandriâ, Ægypto, Constantinopoli, in Livoniâ, Barbariâ, Guineâ. Excurrunt Angliæ naves in Syediam, Daniam, ad urbes Dantiscum, Lubecam, Hamburgum, Wismariam, imò ad utramq; Indiam descendunt, & ex hisce Regionibus maximū lucrum faciunt. Cum Moschis quoq; exercent commercia, & quondam per mare Balticum fretumq; Oresundicum navigabant. Sed cum Anno 1565. bello inter Danos Svecosq; mare hoc quasi clausum esset, novum iter ad Moschos sibi patefecere, totamq; Norvvegiam, Finmarchiam, Sricinniam, Finlappiam, & Barmiam, ultra gradum latitudinis 73. prætervecti, & inde meridiem versus flexo cursu, ad B. Nicolai portum, axi septentrionali ad 68. latitudinis gradus subjectum, pervenerunt. Quorum exemplo Belgæ eandem navigationem postea secuti sunt. Magno quidem cum commodo suæ gentis, sed detrimento Regis Daniæ, qui in freto Orfundico vectigalis jacturam fecit. *Leg. Thuanum Lib. 38. H. A.* Ut verò eò facilius hæc inopiâ levaretur Anglia, & superflua exportarentur, omnia fermè antiqua statuta invitabant mercatores exteros, ut merces omnigenas in Regnum Angliæ importarent; pro fine habentia vilitatem & copiam earundem mercium. Quæ statuta nova sanctione Henricus VII. correxit atq; ordinavit, ut vina & Glastum ex partibus Gasconiæ & Langvedociæ allata, non nisi navibus Anglicis importarentur: Sicq; in classis sui incrementum & plurimarum navium curam statuit. Hodiè aut Angli ipsimet petunt exteras merces, aut inferuntur ab illis, quorum in solo patrie natæ sunt, reliquis n. inferre merces alienigenas & non sibi dominatas prohibetur. Sed finem imponimus primæ Dissertationi.

SOLI DEO GLORIA.

17

DISSERTATIONUM SECUNDA
DE REGNO MAGNÆ BRITANNIÆ.

§. IX. Sic descripto Angliæ territorio, de incolis jam aliquid differendum, qui illam ab antiquo, usq; ad hodierna nostra tempora inhabitaverunt. Si tempora à diluvio, usq; ad Romanorum ætatem, qui Insulam hanc armis sibi acquisivere, perpendamus, varia de incolis commenta, veri aut certi nihil inveniemus. Absolum etenim, quod vano ingenio *Sylvester Gynaldus Cambrensis*, qui temporibus *Friderici Barbarossæ* floruit; (scriptor mirè fabulosus, quo elogio eum doctissimus *Vossius* ornat:) *Typographie Dist. 3. cap. 1.* prodidit de *Cæsarâ Noachi* nepte, cui cum prædiceretur diluvium proximè venturum, ad remotissimas occidentis insulas, quas nec dum quisquam hominum habitaverat, fugam navigio destinasse, & primo ante diluvium anno, ad *Hybernica* littora devenisse. *Richardus Vitus Historia Britannica scriptor, L. 1. Hist. Brit.* hanc insulam Gigantes incoluisse putat, primosq; incolas Aborigines, non aliunde advectos, sed ex ipsa terrâ, ut aves Britannicæ è mari, esse editos censet. Alii *Samothem* quendam, Britannorum autorem & conditorem credunt: quem Regnum *Celtarum* in *Galliâ* tempore *Nimrodi* obtinuisse, suoq; imperio etiam adjacentem *Britanniam* subjecisse, quæ *Samothææ* hinc nomen est fortita, existimant: Quam opinionem *Berosus*, ejusq; commentator *Annius Viterbiensis* fovent: Legatur doctissimi *Johan. Seldeni Libellus*, quem *Janum Anglorum* insignat *Lib. 1. ab initio. Goropius Becanus Britannia incolas* à *Norwegis* originem duxisse in *Gotho-Danicis* sentit. Circumfertur & alia fabula, quæ *Trojanos*, *Trojâ* vastatâ, hanc Insulam occupasse fingit. Sunt enim nonnulli, qui ferunt, *Brutum* *Æneæ* abnepotem exiguas *Trojanorum* reliquias secum trahentem, huc tandem, peragrata *Graciâ* & aliis *Regionibus*, *Dianæ* Oraculo delatum, *Aborigines*, de quibus supra, devicisse, & à suo nomine *Britanniæ* nomen indidisse. Hujus *Bruti* stemma & adventum in *Angliam* descripsit latè *Seldenus in Analect. Angl. Britan. L. 1. c. 2.* Sed doctissimus *Camdenus* hanc de *Bruto* narrationem explodit, & *Bruti* nomen Antiquis incognitum fuisse, seculoq; barbaro, cum *Hunnibal- dus* *Francionem* *Trojanum*, *Priami* Regis filium, *Franciæ* gentis conditorem fabulatus fuisset, innotuisse: atque tum ad imitationem *Hunnibaldi*, *Galfredum* *Monumethensem*, *Brutum* *Trojanum* *Britanniæ* gentis autorem fecisse, probat, quod confirmat etiam *Job. Wetherampstedus*, qui floruit circa ann. 1440. Nihil certi in hisce, & fabulosa omnia: præeunte tamen *S. Scripturâ*, ejusq; Interpretibus ita conijcere possumus, ex familiis *Noachi*, etiam quasdam ad *Britanniæ* Insulas venisse. Testatur divina litera, posteros *Japheti* Insulas *Gentium* occupasse, quod & *Theophili Antiocheni* auctoritas comprobat. Et existimat *Wolphgangus Musculus*, *Gentes*, quæ prognatæ ex *Japheto*, primùm insulas *Europæ* occupasse, quales sunt *Anglia*, *Sicilia*, &c. Imò est sententia *Doctorum*; *Gomerum*, *Japheti* filium, *Gomeris*, qui postea *Cimbri* & *Cimmerii* di-

PRÆSIDENTE
DN. M. GEORGIO
GREENIO,
R. & AUCT.
BERNHARDO
FRIESE,
Lübecensi.
d. 12. Junii.
H. L. C. Q.

rii dicti, & nomen dedisse & originem. Qui populi latè, non solùm in Germaniâ, sed & Galliâ, Britanniâ, aliisq; mundi partibus habitârunt. Hanc sententiam Camdenus quoque tuetur, dum antiquos Brittones à Gomeris Galliæ traxisse originem multis probat. Et *Tacitus in Agricolâ cap. 11.* ex Germanis antiquis Brittones deducit: adde *Cæsarem L. 6 & Schedium de Diis Germanis p. 16* *Boxbornium in Hist. universali p. 368.* Et tantum quidem de antiquis illis incolis, qui usque ad tempora illa, cum potentia Romanorum longè lateq; crevissent, insulam inhabitârunt. Redeunte jam Monarchiâ Romanorum, etiam felicia eorum arma in Britanniam illata sunt. Et quidem ante CHRISTUM natum Gajus Julius Cæsar primus Britanniam ingressus est, & Anno post ingressum sequenti, partem aliquam insulæ in ditionem accepit, solvens è portu commodissimo Morinorum Iccio, (cujus descriptionem, simulq; Ichnographiam nobis reliquit *Johannes Jacobus Giffletius in Tract. de Portu Iccio & multa de illo portu Cluverius L. 2. cap. 28. German. Antiq.* quod de Morinis & figurâ Britanniae triquetra agit, differuit). De hac Cæsaris expeditione legatur ipse *Cæsar Lib. 4 de Bello Gallico, & Strabo Lib. 4. Geograph. Vellejus, aliq; nec non Camdenus Britannia p. 34 & seqq.* Post Cæsarem Julius Agricola Victor in ultimos Insulæ tractus penetravit. Et post hunc alii Imperatores, per multa tempora Insulam sub imperio tenuerunt. Extant enim hodiernum opera quæ plurima Romanorum. Nam Romani varias traduxerunt Colonias, convocatis in vitæ civilis societatem Indigenis, & multis ædificiis & magnificis operibus instruxerunt: atque sic Romani permixti Indigenis incoluere Britanniam. Fatali tandem periodo peractâ, Romani Britanniam relictâ Anno CHRISTI 446, juxta Bedam quingentesimo à Cæsaris ingressu, tempore Theodosii, & Valentiniani Junioris, Pictorum & Scotorum immanitati reliquerunt. Hi enim postquam Romanorum legiones discessisse intellexerunt, totis viribus murum, illud Romanorum opus, aggressi, & patefacto aditu, hostem percussam fugam intendere cogebant. Tunc quoque Scoti & Picti in Britannia sibi sedes quæsiuerunt. Sed cum Incolæ antiqui horum impetus, & latrocinia, diutius sustinere non possent, Vortigernus, cui rerum summam Britanni detulerant, Saxones è Germaniâ in subsidium vocavit. Hi Duce Engisto & Horsâ, filiis Wetgisti, magnâ manu affluxere, & re feliciter gestâ contra hostes, in ipsos deinde hospites Britannos vertere arma, iisq; pulsatis antiquis sedibus, & in Cornubiam, & Cambriam quasi coniectis, Regnum & sedem ibi constituerunt. Egregio exemplo, in maximo præsentissimoq; discrimine res earum Gentium versari, quæ implorare externorum auxilia, militarem imprimis manum, vel necesse, vel consultum habent. De quo nunc plura dicere non licet. Remittimus Lectorem ad discursum *Förstneri in Lib. 6. Annalium Taciti, Machiavel: Princip. c. 3. & Nobilissimum Conring. animadvers. ad Lib. citat. Machiavelli.* Revertor ad historiam, quam prolixius non recensebo, cum

19.

cùm legi possit apud *Wilhelmum Malmesburiensem L. 1. cap. 1. Crantz. L. 1. Saxon.*
c. 20. Camdenum in Britannia p. 6. seqq. Seldenum aliosq. Sed attingam contro-
versiam, quam historiarum studiosi de natali solo hujus Gentis Saxonicae di-
sceparunt. Cùm verò Anglici Scriptores copias illas auxiliares in tres gen-
tes distingvant, Saxones, Jutas & Anglos, Jutis sedem in Cimbricâ Chersone-
so, quæ hodiè **Jütland** dicitur, sine controversiâ, tribuimus, qui Saxonum vicini
fuerunt. De Anglorum sede, è quâ egressi sunt, & origine, major contentio
est inter Scriptores. Sedet ea sententia multis, quod Angli hi ex Svevis fue-
rint. Meminit enim *Tacitus cap. 40.* Germaniæ Anglorum, atque eos Svevorum
facit propaginem: quos deinceps, ex antiquis sedibus egressos, ultra Saxones si-
tam Regionem occupasse, credit *Cluverius Lib. 3. Germ. Antiq. cap. 27.* Sed sunt,
quæ huic opinioni Cluverii opponi possunt. 1. Testari antiquos Scriptores, An-
glos hosce esse egressos ex Provinciis inter Jutarum & Saxonum territoria po-
sitis, quod etiam Cluverio placet. Sed illam Regionem antiquitus non habita-
runt Angli Svevi; nec probavit conjecturâ suam, quam de transmigratione hu-
jus Gentis dedit, Cluverius. 2. A Scriptoribus Anglicis, aliisque, Anglorum & Saxo-
num nomina, ubi de rebus Angliæ agunt, promiscuè usurpari; nec unquam ap-
pellari Angli-Svevorum, sed semper Anglo-Saxones: quod prolixè probat *Ni-
colaus Cisnerus Prefat. in Crantzii Saxoniam.* Neque sufficit ratio appellationis,
petita vel ex societate, quam cum Saxonibus inierant, vel vicinitate, vel etiam
subjectione. Sive enim relationem societatis, seu vicinitatis, seu subjectionis
statuas inter Saxones & Anglos Svevorum, manent nihilominus distinctæ
Gentes Svevi & Saxones: & Svevorum propago non magis dici potest Saxoni-
ca, quam Germani Alsatia Galli, quia Gallis parent; aut Saxones, qui Wanda-
lorum regiones occuparunt, Wandali. Hinc mihi non absurda illorum ap-
paret sententia, qui duplices statuunt Anglos: Svevos Mediterraneos, de qui-
bus Ptolomæus & alii, atque Maritimos, quorum *Beda, Camdenus & reliqui Angli-
ci Scriptores* mentionem faciunt, qui & ex Saxonum gente oriundi, & vicini Sa-
xonibus, qui trans Chalufum fluvium (dicitur aliàs Trava ille fluvius, ex sen-
tentia Cluveri, ad quem Chalufum hodiè Lubeka sita est,) habitarunt. Exi-
stimo hujus Gentis Saxonum adhuc quasdam in Cimbriâ esse reliquias, in eâ vi-
delicet Provinciâ, quæ inter Holsatiam Juriamque **Angeln** dicitur. Quæ
cùm ita sint, corrumpit suâ sponte & illorum opinio, qui ex Angriâ Westphaliæ
hanc Anglorum Coloniam accersunt. De Angiris vel Angrevariis lege *Clu-
ver. Lib. 3. Germ. Ant. c. 14.* Adde *Nicol. Cisneri prefat. in Crantz.* & si placet *Goro-
pium Becanum in Saxonica & Gotbo-Danica.* Hi Angli Saxones Angliæ nomen
dederunt, & eam gubernarunt, usque ad irruptiones Danorum. Dani enim
primùm littora infestarunt, & sub Ethelwolphi Cantium, sub Etheldredo
Northumbriam; sub Alyredo Londinum & Oxoniam occuparunt. Dein-
dè tributum exegerunt, vulgò Danigeld dictum; & denique Svenno Danorum

20.
Rex totius Angliæ Imperium obtinuit Seculo XI. cum iniq; ferret, Danos ab Anglis injustè esse erucidatos; id quod refert *Polydor. Lib. 5. & 7. Hist. Anglic. & Camden. in Britann. §. Dani.* Et tunc temporis Dani inter Anglos quoque habitare cæperunt. Tandem Normanni, Gens bellicosa, nata primùm in Septentrione, Duce Gvilhelmo Notho, ex Ducatu Normanniæ, sibi Angliam subjecerunt, quo tempore iterum novas incolas accepit hæc Regio. *Vide Camden Britann. Bedam, Boxhorn. in Hist. Univers. aliosq;.* Et hæc de Incolis antiqvis & hodiernis. Iidem enim, qui olim, adhuc Angliam colunt, Britanni, Saxones, sive Angli, Normanniq; permisti. Quibus deinceps ex aliis Regnis & populis, qui jus civitatis adepti sunt, accesserunt. Recipit enim Anglia quoscunq; præter Judæos.

§. X. De quantitate seu multitudine incolarum etiam pauca adji-
cienda sunt. Nam in armorum quidem vi sita est civitatum potentia, sed hæc
multorum hominum beneficio comparatur, & Urbes (addo Regna) exiguæ
& infrequentes, ac propterea infirmæ, neq; alias, neq; seipsas regere possunt,
ait *Dionysius Halicar. Lib. 3. Antiq. Romanorum.* Populosissimum est Angliæ Re-
gnum. Numerat n. *Boterus in Relationibus* ter milliones hominum. Eundem In-
colarum numerum servat *Ricciol: Lib. 12. Synopt. Geogr. p. 632.* Sed ego vel pro
majori numero certare auderem. Dividuntur communiter incolæ in Nobiles
& Ignobiles. Ita namq; comparatum est in Rebus publicis, ut quidam, qui vir-
tute excellunt, prudentiâ & consiliis instruant Rempublicam, qui Nobiles sunt.
Reliqua verò turba civitatis sit corpus, vim ac robur, ad virorum præstantissi-
morum consilia exsequenda, ministrans, ut loquitur *Dionys. Halicarnass.*
Eadem etiam in Angliâ observanda est differentia. Quidam sunt Nobiles, qui-
dam plebeji & ignobiles. Nobiles iterum in superiores & inferiores discernun-
tur. Ad illam classen referuntur Principes, Duces, Marchiones, Vice-Comi-
tes, Comites & Barones, & hi omnes jure natalium habent jus suffragii. *Vide
Thomam Schmith de Republ. Angl. L. I. c. 16.* Ad hæc Nobiles & Equites. Con-
fer. Eundem *c. 17.* Equitum autem ordines varii sunt in Angliâ, & dantur
1. Equites Vexillarii Minores, sive Banneretti, Germanicè *Banner-Herren.*
Hi Equites non nisi in exercitu Regio erecto Regni Labaro creantur. Rex, sive
belli Imperator, locum gramineum tenet, Candidatus autem, præcinentibus
buccinis, effertur à duobus Equitibus, vexillum penitum, id est Caudatum,
instar Draconis gerens: factâq; ab ipso protestatione, satis sibi esse in patri-
monio, quo tantam tueatur dignitatem, Rex vexillum explicat, præcisoq; ve-
eiusdem cono seu acumine, Candidato tradit, jubens, ut erectum ferat au-
spicatè: Lege de Bannerettis quam plurima apud *Henricum Spelman: in Glos-
sario p. m. 71.* Dantur 2. Equites aurati, qui creati à Rege, sive Vice-Rege, pro-
lixis admodum ceremoniis, postremò ornantur calcæribus auratis. 3. Est
Ordo eorum, qui Equites de Balneo dicuntur. Hi creantur, quando Reges
Angliæ

21

Angliæ inaugurantur, vel quando Rex nuptias celebrat; aliquando etiam cum Regum filii in Principes Walliæ, vel Duces, investiuntur. Hi, Sacris peractis, quæ in electione ipsorum fieri solent, simul cenant; & peractâ cænâ, in cubiculum se recipiunt, ubi paratur singulis lectulus, & juxta vas balneatorium, in quo, cum se Deo commendaverint, se abluunt, ut deinceps corpore animoq; mundo esse admoneantur. Postridiè variis ceremoniis Equites de balneo constituuntur. Vid: de illis *Camdenus & Franciscus Mennenius Antwerpensis in Deliciis ordinum militarium p. m. 127.* Est & Ordo periscelidis auratæ, vulgo: **Die Ritter des güldenen Rosenbandes** / in quo Ordine Rex præcipuum tenet locum. Institutus hic Ordo ab Edvardo III. & circa tibias periscelide aurea gemmis distincta, nec non paludamento, & torqve ornantur. De armigeris vid: *Thomas Schmieh L. c. c. 19.* Et scripsit *Seldenus tractatum lingvâ Anglicanâ de Nobilibus & Nobilium jure in Angliâ.* Inter ignobiles numerantur cives & municipes, de quibus *c. 22.* itemq; plebeji, de quibus *c. 23.* & ea hominum species, quæ non præest de quibus *c. 24.*

§. XI. Sicuti jam ex variis locis Incolæ Insulam hanc habuere, ita etiam varia ingenia, ritus, & mores horum extiterunt. Quid autem rei Antiquorum mores recensere? de his consulere quis potest *Cesarem, Strabonem, Diodorum Siculum, Pomponium Melam, Tacitum, Dionem, Herodianum & alios*, cum primis qui ex his scripserunt recentiores, *Camden. Britann p. 29. Selden. in Analect. Anglo-Britann. passim. Gotofred. in Archont. Cosm. p. 351. 352.* De hodiernis potius aliquid dicendum. Utile enim est, imò necessarium homini Politico, ex genio variarum gentium sic animum instruere, ut diversus sis cum diversis, cognoscasq; quid à quaque expectandum sit aut timendum. Sunt hodierni Angli staturâ virili & decenti, corpore vegeto, temperamento melancholico, & ut *Comineus* refert, *Angli omnes, ii præsertim, qui non apud externos sunt peregrinati, valde sunt biliosi, quod proprium est omnibus ad Septentrionem positis populis.* Vultu nitent, & facie decorâ, adeò, ut *B. Gregorius*, quum fortè Anglorum pueros Romæ vidisset, benè dixerit: Angli dicuntur, quia vultu nitent ut Angeli. Præsertim foeminae candore & amabilitate præstant, & corporis pulchritudine ita excellunt, ut non immeritò aliquis Angliam Europæ Gynæceum (Europæ **Strauen-Zimmer Haus**) dixerit. Hanc corporis elegantiam magis commendat morum civilitas, & præsertim erga externos comitas, quod non de plebe intelligendum, cum vulgus ignobile durum sit & inhospitale. Hinc *Barclajus* peregrinis, cum Anglis versantibus, cautionè ut adhibeant suadet, & ne ex paucis, aut fortasse plebejis, totam Gentem æstiment. Quos tamen natalium humilitas, & sordidum vivendi genus excusat. Remota ab illâ sorditie Nobilitas & Primarii, qui adeò elegantiae & urbanitati student, ut vix ulli nationi exteræ cedere debere videantur, præsertim ii, qui exterâs visitant nationes. Maximè enim se submittunt, & ad verba imaginariæ servitutis, quæ hodiernorum se-

22.
culorum blandities invenit, descendunt. Hinc jus hospitalitatis apud illos viget, & institutum fuit olim Londini, ut omnes exteri à Præfecto urbis hospitio exciperentur. Vide de hoc ritu *Paulum Hentzner. in Itinerar. p. 191. & Gotofred. in Archont. Cosm. p. 352.* Falsi criminis ergò accusat hanc Nationem *Frederic. de Marselaer in Legato suo Lib. 1. p. 158.* Quod ingenium hujus Gentis exterorum sit impatiens. Laborant Philautiâ, & hoc vitio ducti Angli seipfos, & suæ Gentis mores, ingenia, animos, eximiè mirantur; ut putent, non dari homines nobiliores, & ad omnia aptos præter Anglos. Undè si quem exterum egregiâ formâ & staturâ ornatum vident, malè ipsos habet, quod non sit *Englischman* (homo Anglicus) seu ut *Lansius in Consultat. de Principat. Provinc. Europ. p. 546.* testatur, infelicem & semi-hominem eum putant, qui alibi quam in Britanniâ sit natus: Eum verò longè infelicissimum, cui extra Insulam in alienâ terrâ spiritum atq; ossa reliquisse contigerit, cum nullam terram habeant adeò felicem, adeoq; nobilem quàm Angliam. Animosi sunt & optimi milites, quos gloriæ cupido in hostem acuit, & dedecus servitutis ad fortiter agendum incitat. Impetu feruntur in hostes, nec bellum trahere solent, nisi ubi è re suâ id esse autumant. Fortitudinis stimulus non est lucri, sed gloriæ cupido. Impri-
mis contra Gallos animosè pugnant quod de illis *Comineus lib. 8. Comment. perhibet. Anglis omnibus est quædam animi incitatio, & alacritas naturaliter innata bellum in Galliam inferendi; primum quod illam ad se jure pertinere dicunt, deinde propter amplissimam prædam; addo ego tertio innatum odium, quo Gallos averfantur.* Quamquam enim olim inter Gallos & Brittones fuerit morum similitudo, quod & *Camdenus* prolixè probat, & communis quondam patria & origo arguit; immutavit tamen deinceps animos diversa soli cœliqve qualitas, aliaq; multa; adeò ut ne Brittones quidem hodie cum Gallis moribus & habitu animi conveniant. Sic idem accidit animis hominum quod vitibus, quæ in aliam terram insitæ naturam mutant. Quod expertus est Petrus Simon, qui palmites Rhenanos in solo Hispanico plantavit, ex quibus vinum dulce hispanicum premitur. Nec cum Gallis tantum, sed etiam cum Belgis intercedit illa necessaria similtas Anglis, quam æmulatio in studio negotiandi excitavit. Nam id male habet utiq; animos Anglorum, quod Belgæ navi & industrii, parcissimi & frugalissimi homines, uberiores quæstus ex omnibus rebus, etiam quæ in Angliâ proveniunt faciunt. Cum Angli è contra sint deliciis, otio, & desidiâ infecti, & cuncta carius vendere necessum habeant, quò deliciarum sumptus restituantur. Sed revertor ad virtutem bellicam Anglorum, quam in militiâ præsertim navali exercent, unde non immerito Neptunia proles à quodam hæc natio vocata est. Sed illud ipsis vitio vertitur quod in externo aëre, cum primis frigido, milites durare nequeant. Cujus rei duplicem invenio causam 1. Quod in clementiori aëre vivere consueti sunt. 2. Quod vitus ipsorum temperamento ubiq; non conveniat, & quod bene libenterqve
semper

73

semper victitantes tenui & duriori victu vivere non valeant. Addit *Barclajus part. 4. c. 4. Sat.*: tertiam causam, intemperantiam Anglorum, quod in alieno solo avidius se implere soleant cibis inexpertis. Idem *Barclajus* de ipsis refert, quod mortem impetu plus, quam judicio spernant, & hoc singulari exemplo comprobatur. Sed victoriâ potiti crudelissimè in hostes saviunt: nec non videtur Anglorum ingenium occulto quodam naturæ instinctu ad sævitiam quodammodo propendere; unde inaudita carnificinæ genera adhibuisse in suppliciis passim leguntur. Porro nec animus Anglorum fortunam adversam patienter ferre potest, nec ritè sustinere secundam. Commestrationibus dedita est natio, de quo conqueritur *Camdenus part. 3. Annal.* & ex illo *Lansius in Consult. p. 888.* quod in Belgio illud vitium attraxerint. Nubilos namq; dies in diversoriis confabulando commestandoq; extrahunt; & si ab ebrietate se lædi sentiant, utuntur fumo Tabacci, herbæ Indicæ; cujus beneficio noxios vapores quodammodo discutunt, ut ulterius se mero ingurgitare possint. Et hic fumus adeò ipsis in deliciis est, ut alicubi nec pueri nec fæminæ à Nicotiano abstineant. Conf. *Lansii* verba emphatica *ex Consult. pag. 551.* Artem coqvendi jactitant, & quod Belgæ Galli q; eam ab Anglis acceperint gloriantur; quo nomine *Erasmus Roterodamus in libello de moriâ* ipsos exagitat, quod nimium affectent laudem rei coqvariæ. Apud multos Scriptores furaces audiunt Angli; sed vel plebis est hoc vitium, vel jam liberata est eo vitio Anglia: Siquidem gravissima pæna furibus constituta est, ut qui juxta Metteranum duodecim asse est furatus suspendii pænam promeruerit. Et est commune Anglis hoc suppliciû, quod de reis non carnifices justis, Sed quicumq; conducti ad id negotium, sumunt: nam amicorum hoc est, frangere suspenso cervicem quod officium ipsis dicitur *der Gesellen Stoß.* Conf. *Zeil. Epist. 2. Cent. 3. T. I.* Præterea seditiosi sunt Angli, quod exempla plurima tam antiqva quam recentissima loqvuntur. *Seditiosis motibus*, inquit *Verulamius in histor. Regni Henrici VII., tanquam febre anniversariâ, quotannis corripitur solebat Anglia.* Sunt & superstiosi magis quam religiosi. *Tribuunt Angli plurimum vaticiniis, & cum de rebus arduis tractant, in mediû semper aliquid tale adducunt.* quæ verba sunt *Phil. Comineai l. 6. Comment.* Creduli nimium vel fabulis milesiis aurem credulam adhiberent; & novarum rerum studiosissimi multa nova inventa hæresesq; protrudunt. Deniq; & de ingenio Anglorum, & quantum in virtute intellectuali præstent dicendum aliquid est. Ingenio maximè valent Angli, acri, eximio, & omnibus studiis commodo. Male de ipsis *Janus Huartus in Scrutinio Ingen. p. 311.* ex Aristotele, quod ingenium Anglorum sit ferè tale, cujusmodi est ebriosorum. Felix potius & fœcundum est Anglorum ingenium, quod multarum rerum naturalium causas & virtutes nobis aperuit, & in studio Mathematico, arteq; Mechanicâ, multa præclarè inventa edidit. In consiliis quidem & politicis negotiis videtur sæpè nimis speculativum esse & subtile ingenium Anglo-

Anglorum quod in Henrico VII. *Verulamius* observat, & in Jacobo VI. aliisq; alii. Verum norunt illi nihilominus prudenter res suas gerere, & administrare sapienter Rempublicam. Conf. *Barclajum loc. ante cit.* Quod segnius studia tractent impingit ipsis *Neubusius lib. 1. Theatri Ingen. Vit. hum. c. 13. p. 247.* Verum, ut ut hoc omnino inficias non eam, quotusquisq; tamen est quem fugit, magnum esse Eruditorum Virorum proventum hodie in Angliâ? Ne dicam de Rege ipso, qui & magnitudine ingenii & eruditionis gratiâ plurimos antecellit: nec referam nomina Procerum Regni, qui, cum sub Cromvellido à Regni negotiis essent remoti, unice studiis elegantioribus & scrutinio rerum abditarum novarumq; solati sunt ærumnas suas. quem latere possunt nomina *Wallisii, Willisii, Hobbesii*, acutissimi Mathematici, sed perversi Christiani & nullius religionis hominis, *Ingeniosissimi Boyli*, aliorumq; de quibus lege *Itinerarium Angliæ*, cujusdam Galli, quod Germanis communicavit *D. Macfle p. 400. seqq.* Et hæc de moribus Incolarum Angliæ, quantum ad institutum nostrum facere potuit. Si jam fabulam audire lubet, adjiciam antiquos versiculos, qui Anglos caudatos esse memorant.

*Quod si Britannos computas,
Et numerosam classem,
Caudata hæc est natio,
Non valet unum assem.*

Inde Proverbium natum est *Engelsman ein Stertman*. Originem hujus fabulæ petunt à temporibus Augustini, quam narrat *Major natione Scotus professione Theologus lib. 2. de gestis Anglorum & Scotorum cap. 9. Confer. etiam Reverendum Ursinum Analect. Sacror. vol. 1. p. 113.*

§. XII. Restat dicendum de Religione, quam fovet Anglia. Temporibus antiquissimis Paganismo addicta fuit tota natio. Quo tempore autem ad religionem Christianam aspiravit, lege apud *Polydorum Virgilium in Histor. Anglic. L. 4. Job. Selden in Analect. Anglo-Britann. L. 1. c. 6.* Et quomodo propagata fuerit religio in Anglia, apud *Petaviam in Rationario temporum L. 7. c. 12. & Hottingerum in Histor. Ecclesiast. c. 7. S. 3. p. 411. Bedam apud Calvinum ad annum 623.* Perseveravit in hac Anglia, & semel agnitâ Religionem Catholicam tenuit usq; ad Henricum VIII. qui primus Reformatae Religioni fenestram aperuit, & ut argute loquitur *Thomas Browne de Relig. Medici Sect. 5. Papam Romanum non fidem eiecit.* Ante illum, ut *Sprengerus scribit, in Christiani orbis perspicillo p. 764.*, nulli Reges magis sedi Romanæ obediebant, nulla majora donativa Romam mittebant, utpote qui Regnum suum titulo Feudi à Pontifice recognoscere gloriosum sibi ducebant. Multum etiam Anglia adjuvit Romani Pontificis fastum. Inas enim West-Saxonum Rex, Angliam vectigalem fecit Romano Pontifici, ut ex singulis domibus in Angliâ denarius Romano Pontifici persolveretur annuatim; qui nummus vocatus Divi Petri: *Vide Polydor.*

25

Polydor. Virgil. in Hist. Anglic. L. 5. p. 89. & 90. Anno 740. quam Legem deinceps repetiit anno 847. Ethelwolphus. Solvendum hoc vectigal erat ad diem festum Petri & Pauli, vel ad vincula Petri. *Polydorus p. 96. 97.* Qua verò excusatione hoc tributum Angli à se avertant: *Vid. Zeiler. in Epist. Ep. 2. Centur. 3. p. 557.* Ipse quoque Henricus VIII. contra Lutherum de septem Sacramentis librum edidit; cujus scripti vel Auctor extitit, vel adjutor Johannes Fischer, ut Sanderò placet *Lib. 1. de Schism. Anglic. ad A. 1535.* Et Rainaudo *Tract. de bonis & malis libris Partit. 1. Erotem. 10.* Meruit nihilominus hoc scripto Henricus VIII. apud Leonem X. Pontificem tantam gratiam, ut ipsi gladium cum Titulo DEFENSORIS FIDEI Româ mitteretur. Hic gladius, Londini in Propugnaculo, quod appellatur De Tour asservatur. (Confer multa de illis gladiis consecratis Pontificum ex *Schotti Itinerario Italiae Part. 2. c. 13.*) Et titulo DEFENSORIS FIDEI hodie utuntur Reges, ringentibus licet Pontificiis. Notatur n. proinde Casaubonus à Julio Casare *Bulengero Diatrib. 1. p. 1. Vellem, inquit, persuasionis suae defensorem appellasset. Nec enim ea fides esse potest, quæ ab Ecclesiæ Catholice fide, Sacrarum literarum verbis & mente, ac unanimi veterum consensu discedit.* Sed postquam in matrimonium duxerat Regis Hispaniæ filiam Catharinam, ex quâ filiam Mariam suscepit, tadio Catharinæ captus, cogitavit de divortio Henricus Rex, hortatu Thomæ Wolfæi Cardinalis. Causa repudii erat, quod Rex deperierat Bolonam quandam. Sed Pontifex Clemens VII. in hoc divortium consentire nolebat, metuens offensionem Caroli V. (hujus Germana erat Catharina) cujus favore & operâ, ad oppugnandum Lutheranismum indigebat Papa. Ipse vero Rex, misso invito Papâ repudio, ad vota secunda transiit, simulq; ab Ecclesiâ Romano Catholicâ discessit, semetipsum *Caput Ecclesiæ Anglicanæ* autoritate Parlamenti professus; quod & titulum dedit, & potestatem omnimodam, hæreses & abusus in Ecclesiâ reformandi. Ita loquitur *Camdenus apparatus ad historiam Elisabethæ.* Confer *Polydor. Virgilium Lib. 27. Hist. Anglic.* Non ipsam quidem tûm ejecit Religionem Pontificiam, nam testamento constituit, ut Missæ celebrarentur pro suâ animâ in Purgatorio, ut Scriptores testantur. Arguuntq; idem decreta Religionis in conventu Ordinum sub Henrico VIII. facta, *apud Sleidan. Lib. 12. Comment. de Statu Religionis, & Surium;* quæ Papisticæ Religioni favebant, adeò, ut multi Protestantium vi illius legis, quam sex articulorum vocârunt, ad vivicomburium damnarentur, quod nollent probare dogmata illis decretis stabilita; *Camden. in apparatus p. 19.* Filius hujus Eduardus VI. successit, & Protestantium religionem probavit, promovitq;. Nam vehementer amabat Evangelii doctrinam, & decreta religionis, sub Henrico VIII. publico decreto antiquabat, & Missam abrogabat, magnæ expectationis adolescens, teste *Sleidano L. 20. & 25.* Extincto illo, Maria filia Henrici VIII. Regno potita, denuo introduxit Religionem Pontificiam, restituitq; Pontificios dignitatibus suis, &

D

decreta

26
decreta Eduardi pronunciavit in ita. *Jubilaum id propter cantante curiâ Romanâ Sleidanus L. 25.* De persecutione immani quæ tùm temporis per Mariam Angliam & Scotiam afflixit, lege *Johan. Foxum Anglum in libro de rebus in Ecclesiâ gestis passim.* Unde eleganter Gallus quidam de hâc Regina dicit: *Anglia lupum non habet, sed hodiè Lupam.* Mariâ è medio sublata morbo, ut putant, hydro-pico, successit Elisabetha, sub cujus Imperio florere cœpit Reformata Religio, maximèq; omnium sub Jacobo invaluit. Habita tum Synodus Londini 1603. in quâ conscripta est fidei formula Ecclesiæ in Angliâ observanda, quam etiam hoc tempore tenent; ordinatumq; ut singulis annis Ministri Ecclesiæ auditoribus semel inculcarent, *Regem Angliæ esse summum caput Anglicana Ecclesiæ*: id quod & successu carere non potuit. Ita perfectam est negotium, cujus solidum & verum fundamentum posuerat Henricus VIII. Nunquam enim successoribus suis tam proclive fuisset extirpare Religionem Catholicam, nisi Henricus Primum Papæ destruxisset, excisis etiam Monachorum nidis; nam sic radicem ipsam amputaverat. Unde & sagacissimo Cromwellio idem consilium sequi placuit. Sic Calvinii dogma in omnibus Regni partibus plantabatur, servatis tamen antiquis ritibus, genuflexione, geniculatione, usu vestium albarum, quando Sacris operantur, Lithaniæ formulâ, Responsoriis & Hierarchiâ Episcopali, & distinctione inter Presbyteros & Episcopos, non sensu Orthodoxo sed Papistico; ne dicam de vestium colore, quibus Episcopos induunt. Hæc fuit forma Religionis usque ad Carolum I. sub quo maximum incrementum accepit Secta Independentium, sive malis Puritanorum nomen. Cœpit Secta Puritanorum superiori Seculo sub Elisabethâ, anno circiter 1567. Hi abhorrebant tam à ceremoniis Ecclesiasticis, aliquam speciem Papismi referentibus, quam ab eminentiâ Episcopali, (unde Puritani dicti; quod tam purè se à consortio Catholicorum segregarent) conantes introducere talem Ecclesiæ & Ministerii formam, qualem Calvinus Genevæ instituerat, quo nomine sæpius & identidem vellicârunt Episcopos. Divisa hæc deinceps Secta est in plures partes, Brownistas, Independentes & Puritanos &c. tandemq; sub Independentium nomine centum & octoginta (tot numerat Reggius) pluresq; hæreses sese occultârunt. Sub Carolo autem I. quod potissimum oppugnati sunt Episcopi, fecit Episcoporum fastus, insolentia, & suspicio Papismi, quæ laborabant, apud populum, *Judice Honorio Reggio* (qui vero nomine Georgius Hornius) *in Prefat. ad Lectorem de statu Ecclesiæ Britannicæ.* Quem fastum ipsè Rex sanguine suo expiavit, quod nimis (hortatu, ut perhibent, uxoris Pontificiæ Sectæ & ex Galliâ oriundæ) saveret Episcopis, contra Independentes, quorum caput Cromwellius existebat, nullius fidei & professionis certæ homo, sed omnibus Sectis amicus atq; Patronus, quod latè retulit *Bateus part. 1. Elench. Mot. Nuper. Angl. p. 220. seqq.* Et ex legibus, quas fundamentum Imperii sui posuit, constat. Saverat tamen maximè Independentibus, tùm propter licentiam

centiam conscientiae, quam crepant; tunc quod magna pars vulgi ipsis adhaereret. Vulgus enim in varias erat scissum Sectas, & ea propter abhorruit & formam Regiminis Ecclesiastici, quam Presbyteri cupiebant, ut per classes regeretur Ecclesia. Maluit ut juxta Independentes quilibet sui juris esset, nullique rationem reddere teneretur. Unde tanta Sectarum illuvies universam Angliam inundavit. Tandem, redeunte ad Fasces Carolo I., restituta quidem antiqua Ecclesiae Anglicanae facies, sed a Fanaticis purgari plane non potuit Regnum; & apud Presbyteros mansit inveteratum erga Hierarchiam atque Liturgiam odium. Hujus odii illam nunc causam praetexunt; Non satis, retenta ea Liturgiae forma, purgatam esse Ecclesiam a fermento Papistico, adhaerere quaedam, quae facile in superstitiones, & errorem priscum retrahere possent homines. Et ita sentire nonnullos ex animo non nego, alios vero id potius aegre habere mihi persuadeo, quod tantus Episcoporum splendor est & eminentia, quibus subjici, quorum audire imperium necessum habent, cum ipsimet imperare mallet. Reliqui Fanatici, quorum magna colluvies, sub Tremulantium nomine ferè omnes latent, licet Tremulantium Secta, si distinctè eam cognoscere cupias, ab aliis discreta sit, quae majorem Sanctimonii speciem externam praese gerit, & ad praesentiam Spiritus suggerentis dicenda, quò divinitus se afflari mentiuntur, horrore quodam contremiscunt. Unde Anglis The Quaker dicti sunt. De quibus scripta extant varia. Confer: de illis Ross von aller Welt Gottesdienst: Itemque Danhaw. qui libellum contra Tremulantes conscripsit, & aliorum. Contra omnes hasce Tremulantium & Independentium Sectas nullum aliud remedium hactenus inveniri potuit, quam coërcitio violenta. Qui censent, Regem Angliae minus prudenter, atque non quod est è re sua egisse, quod Episcopos suis dignitatibus restituit, nam illi errant, nec advertunt, in Principatu popularem istam Ecclesiasticae rei formam, tanquam Regiae potentiae adversam, suspectamque, non probari. De quo prolixè disserit Förstnerus ad Taciti Lib. II. Annalium p. 58 seqq. Vel distinctius respondet hisce hominibus ad Lib. 12. p. 250. 251. Verba sunt: *Nudera in Angliam & Scotiam (quidni Rebuspub. connumerem Regna libertati proxima?) certamina, quorum exitum adhuc Fata in obscuro tenent, de restituendis pellendisve Episcopis, religionis praetextu Status publici arcana tangebant. Nam servari Episcopos a Rege promotos, & quorum in Regni comitiis maxima erant auctoritas, ideòque Regiae potestatis propugnatores ac instrumenta, Regis maximè intererat, Ecclesiam lecto ex plebe & Ministris Collegio, quod Presbyterium appellant, regi, populari libertati aptius erat. Ut non mirum sit, hinc Rege pro dominatione, inde populo pro libertate nitente, rem in funestum bellum, & quae alia bello atrociora sunt, exarsisse.*

§. XIII. Ad Angliae territorium referuntur quaedam Insulae: Nempe *Monna* in mari Hibernico, *Anglesea, Veelis*, sive *Wicht / Garnesey* in mari Britannico, *Jarnesey*, quas duas Insulas Gallis eripuerunt. Denique *Syllana Insula*, quas

olim *Casiterides* dictas nonnulli putant, hodiè die *Sorlings Inseln* Abundant hæ Insulæ multis rebus, usui humano commodis. De quibus legi potest apud *Camden*, & in *Chronico M. Britannia*.

PARS II.

EXHIBENS HIBERNIAM.

§. I.

HIBERNIA, pars non minima Imperii hujus M. Britannia. Nomen deducunt alii ab Hiberno tempore; alii ab Hiberno homine Hispano; vel ab Ibero flumine; alii ab Irnulpho quodam. Quidam ex Hebraicâ lingvâ petunt, quod IRIN quasi JURIN, Hebræorum terradicatur. Sed *Camdenus & Montanus* meras esse conjecturas censent. Plausibilior illa est, quæ ab Ilere hibernicâ dictione deducit, quæ vox Incolis occasum notat, quod dicta sit Hibernia, quoniam est Regio Europæ in occasum remotissima. Antiquissimis hæc fuit nota Scriptoribus, qui variis eam nominibus appellârunt: *quæ lege apud Thomam Carve in Lyra Hibernicâ, aliosq.*

§. II. HIBERNIA Insula vera & exacta est. Undiq; n. mari alluitur; ab ortu Angliam turbido mari disjunctam habet, quod Hibernicum vocant. Ab occasu immenso Oceano occidentali, à Septentrione Deucalædonio cingitur. Ab Austro protenditur in aqvilonē forma lenticulari, seu ovali, ut non infulsè *D. Hissing Paulus Jovius* Hiberniam Insulâ querno folio comparaverit, ubi cuspis & pediculus molliter resecti ademptiq; fuerint. De latitudine non benè judicavit *Plinius Lib. 4. Hist. Natur. C. 16.* quando eandē hujus & Angliæ, sive Britannia, latitudinem facit. Falsum hoc, quæ enim Austrum & Occidentem spectat Britannia, duplo latior est Hibernia, licet quæ Scotiæ versus Septentrionem jungitur, Hiberniæ latitudo major sit.

§. III. Dividitur Hibernia duplici ratione, vel juxta mores & conditionem Incolarum, vel juxta dominia, in quæ hæc Insula olim fuit distincta. Si mores respiciamus, dividitur in Hiberniam feram & sylvestrem, *Wilde Irlandt / Wilde Irriſch /* & in Anglo-Hiberniam. Altera distinctio in quinque dividit Comitatus, sive Regiones, de quibus lege libellos Geographicos, ut & de urbibus, inter quas prima & metropolis est *Dublinum*, Regia & Archi-Episcopalis sedes, quam Academia Elisabetha Regina ornavit; Secunda est *Armach* Archi-Episcopali sede incluta. De reliquis dicere non vacat. Portus reales recenset *Ricciolus in Catalogo suo Kinsal, vel Kinsael, nec non Waterford, Roxford & Dublinum.*

§. IV. Hibernia sive Irlandia est regio inæqualis, montosa, aquosa, sylvestris, ventis exposita, & pascuis admodum commoda. Hinc pecorum multitudo Incolarum præcipuæ opes sunt. Miram cæli clementiam & temperamen-

ramen-

29.

ramentum extollunt Auctores, sed ad maturanda semina ferè iniquum est. Unde terra multum frumenti ferre non potest, præsertim cum & frigidum sit, & humidum solum, & frequentes pluviales inundationes patiatur. Nihil illi cæli soliq; humor catharos multos, & ventris profluvium procreat, præcipuè verò advenæ his morbis vexantur. Utuntur medicinâ, aquâ vitæ, sive vino distillato, quod multò minùs quàm nostrum inflamat, & magis exsiccat. Quamquam verò non satis frugibus instructa sit, abundat tamen piscibus, lacte, carne, & aliis, quæ ex armentis capiuntur. Feras multas alit, & luporum pelles, quæ exportantur, aliquo in pretio sunt. *Vide Camerar. Centur. 1. Hor. subcis. c. 29.* Cervi præpingves, & ob pingvedinem, ut ferunt, non adeò pernice. Aprorum magna hic copia, leporesq; permulti, Caret verò Damis, Capreis, & Erinaceis; & talpæ nullæ sunt, vel rarissimæ, mures verò infiniti. Equos optimos gignit, & canes non ignobiles, sed minori staturâ, quàm Anglicani, quorum præstantissimi sunt venatici. Ovium maxima reperitur copia, gerunt lanam nigram, uti *Gyraldus* testatur, sed tam tenera non est, ut Anglicana: id quod magis est ex vitio culturæ, quàm terræ. Ex hac incolæ pannum rudem conficiunt, quem exteris impertiuntur, v. g. *Ursche Frysen*. Magna vaccarum & taurorum est multitudo in Irlandia. Sic apibus abundat, ut non solum in alveariis, sed etiam arborum truncis, & terræ cavernis apum examina reperiantur. Ea quæ exportantur, sunt pelles boum & ovium, adeps, butyrum, pannus villosus, mel, ligna. Nam & ligna exteris suppeditat, quæ ab araneis fastidiuntur, & quibus telas suas non applicant. In littore Hiberniæ margaritas inveniri tradit *Gyraldus*, sed cum orientalibus non comparandæ. Mirum est, quod Insula animalia venenata, ut araneas & lacertas non toleret. Si quæ eo deferantur, brevi moriuntur. Quidam hanc Insulæ prærogativam meritis & precibus S. Patritii acceptam ferunt; sed refutat illas nugas *Thomas Carve* in *Lyrâ bybernicâ p. 9. & seqq.* An metalla ferat, dicere nequeo; non enim sunt, qui scrutantur. Quod piscium & volucrum captura insignis sit, omnibus notum, & testatur *Thomas Carve*, apud quem plura de laudibus & felicitate Hiberniæ legi possunt. Tandem loca, in quibus mercatura maximè exercetur, sunt *Dublinum, Corcke & Waterford.*

S. V. De Hiberniæ Incolis multa fabulosa circumferuntur, quæ in prima parte hujus Capituli attigi. *Camdenus* in *descriptione Hiberniæ* primos Incolas ex Britannia illuc migrasse scribit. Alii ex Hispaniâ venisse autumant; cui sententiæ adhæret *Thomas Carve*. Nec diffitetur *Camdenus*, multos ex Galliâ, Hispaniâ, aliisque Regionibus, ut iniquissimum Romanorum jugum effugerent, se huc recepisse. Scoticam Gentem hanc Insulam quondam incoluisse, adeò verum est, ut inde nonnullis Scriptoribus *Scotorum Insula & Scotia major fuerit dicta.* *Conf. Lyrâ Hibernicâ Thomæ Carve p. 4.* Sic & Gallos multas colonias eò misisse Auctor est *Buchananus*. Hodiè plurimi Angli (postquam

cum Angliæ Regno coaluit) eam incolunt, ita ut distingvantur Incolæ in Hibernos Anglos, & Hibernos Indigenas.

§ VI. Numerosa admodum, foecundaq; Hibernica Gens est, & major ferorum hominum numerus, quam mansuetorum in Irlandiâ. Olim certè tanta fuit manus virorum, ut unus Anglus vix cum decem Hibernis comparari posset, & necessitate urgente, ingentem hominum multitudinem in bellum cogere poterant, quod testantur bella cum Anglis gesta. Nec foecundi tantum sunt Hiberni, sed etiam propagationi generis humani student, & maturè contrahunt nuptias, præsertim puellæ festinantur. Sed hodiè sine dubio multum imminuta est illa multitudo: Si quidem seditio sub Carolo I. excitata aliquot centena millia Incolarum confecit, interemitq; cum Hiberni primùm in Anglos per Hiberniam sparsos, nullò sexus, ætatis, hospitii & affinitatis habitâ ratione, sævirent; & postmodum Angli, grandi internecone, multorum millium Indigenarum Anglorum manibus parentarent. *Bateus in Elench. Mor. Nuper. in Anglia part. 1. p. 53.* Sic & Cromwellius multos ex Hiberniâ deportari aliò curavit, quo valdè debilitata est potentia Indigenarum, ut hodiè quietè agat fera illa Gens, ad seditionem, & turbas aliàs prona. Dividi autem commodè possunt Incolæ, ut non jam de Anglis, & Scotis accolis dicam, in primarios, Nobiles, & ignobiles. Horum ingens copia & multitudo ubiq; per totam insulam, partim in vicis, & civitatibus, partim in pagis, & campis numerosè vitam agit. Quoad Nobiles, primarii sunt tyranni, uti eos vocat *Richardus Stanburstus Dublinensis*: Quorum Imperio plures tenentur, hos Præfecti sequuntur, qui inferioris ordinis sunt. Turba cætera promiscuè degit.

§ VII. Quæ de moribus Incolarum antiquorum dicenda forent, peti possunt ex *Strabone Lib. 4. de Hibernicis: Pomponio Melâ, & Solino c. 23.* Quare ad hodiernorum me potius conferam. Notandum id probè, Incolas hujus Hiberniæ non iisdem moribus vivere, quoniam non ex uno semine prognati. Nam in cultiori Insulæ parte, & potissimum ad littora maris, degunt Angli & Scoti, quorum mores, aliorum Angliæ & Scotiæ Incolarum moribus conformes sunt. Hibernos Indigenas divido in feros & cultiores; quoad feros, habitant illi in meditullio ferè Insulæ, & non quidem ita feri dicuntur omnes, ut Americani & Indiani, qui Christianâ Religione omninò carent, sed propter modum vivendi dicuntur feri. Nam testantur nautæ, qui cum illis mercaturæ gratiâ versati sunt, quosdam quoad pudenda nudos incedere, & aversos ab omni humanitate esse, cæteros panno villosos indutos, non in lecto, sed humi noctes transigere: *Conf. Barclaji Satyr. part. 4.* Inertiam amant, quietem oderunt, & in præproperam venerem sunt effusiores, teste *Camdeno in descriptione Hiberniæ p. 680.* qui graphicè & prolixè horum mores descripsit p. 72. 713. 714. &c. Et ut olim apud Germanos, aliasq; nonnullas Gentes, latrocinia nullam habebant infamiam, quæ causa est, quod *Aristoteles Lib. 1. cap. 8.* latrocinia inter genera

genera vivendi refert; Ita etiam apud Hibernos infamiam non infert atrocitari. Multam quidem Angli navarunt operam, ut mansuetiores efficerentur, sed parum profecere. Unde cum humanitatem induere animo nolent, illos educi voluit Cromwellius. Nonnulli verò Hibernorum à ferâ agrestiq; vita ad humanitatis & virtutis cultum adducti sunt; suoq; docent exemplo, rudem bonarum artium gentem, si accedat educatio, ad culturam humanæ consuetudinis componi posse. Bellicosi hi sunt, & corporum lineamentis conspicui, nec non ingeniosi, & apti studiis; Lege Catalogum quorundam Doctorum hodiè viroꝝ ex Hiberniâ oriundorum, apud *Carven in Annalibus Hiberniæ* p. 428. Mollia carne corpora, & propter musculorum teneritudinem maximè agibilia gerunt; indurata quoque eadem sunt, ut magnâ patientiâ cæli incommoda sustinere possint, & tenuiter vitam tolerare.

§. 8. Accepit hæc Insula Religionem Christianam, ut ferunt, Seculo IV. regnante in Scotia Fincomaro; Postmodum Romano-Catholicam dudum tenuit. Nostro tempore, quia diversos fovet Incolas, etiam partim Religionem Catholicam, partim Reformatam habet. Incolæ Angli adhærent Reformatæ Religionis; & id obnixè, omnibusq; consiliis agunt, ut labefactare, & prorsus extirpare possint Catholicam Religionem. Unde ante aliquot annos Cancellario Angliæ à Comite Bristolensi crimini datum, quod in Hiberniâ Papistas antiquis sedibus restituisset. Hiberni è contrâ pertinaciter obstant, & firmiter defendunt illam. Hinc cum Carolus I. Liturgiam Anglicæ Ecclesiæ ipsis obrudere conaretur, magno motu se opposuerunt, & ducenta millia fermè Anglorum trucidarunt. *Tota namq; ferè Hibernia Sprenger testimonio in Perspicillo p. 770. defendit maximè Catholicam Religionem, & coactè habitationem Protestantium in suâ terrâ tolerant, qui in emporiis habitant, nec campo ob reliquorum multitudinem, & prioris sevitiæ memoriam fidunt. Inter Religiosos Franciscani Observantes primas tenent, ultra quod S. Dominici, & Bernhardsi ordo non minore diligentia & assiduitate Sacris invigilet.*

PARS III.

EXHIBENS SCOTIAM.

§. I.

AD tertiam Regni M. Britanniaë partem, Scotiam videlicet, nunc me confero, & priori methodo insistens rationem nominis exponam primùm. Britannia appellata est, sed quoniam suprâ satis de Britanniaë voce dictum, ad Scotiaë nomen propero. Est autem Scotia, quondam peculiare Regnum, hodie pars Regni M. Britanniaë, sic dicta quasi Scythia, propter Incolas Scythas: Quamquam dubitem, an de vocis hujus Etymologia quid veri sita-

ri statui possit. Falsum etenim & fabulosum, quod quidam Scotos putant dictos à Scota Pharaonis Ægyptii somniatâ filiola. Pari modo & illa rejicitur explicatio vocis, quâ dicuntur Scoti quasi Σκώτιοι, (furto concepti.) Porrò inveniuntur, qui ex Saxonica lingua originem vocabulorum Scotia & Scottorum accersendam esse autumant; Et ita appellari, quod ex confusâ Gentium colluvione prognati fuerint. **Schott** enim illud dicitur, quod ex diversis rebus in unum acervum aggregatur, inde **Utschott** componitur. Sed quod ante dixi repeto, nihil certi in his definire licet, quod & ipse Camdenus, Buchananus, Doctiq; alii confitentur. Appellatur etiam Alban, sive Albion, de qua voce in Angliæ descriptione dictum: & quamvis hoc nomen, utriq; Regno commune primùm fuerit, hodiè tamen id Scotia speciatim retinuit: Conf. Camden. in Britann. suâ pag. 63. Et prolixè Buchananum de rebus Scotticis, Insulæ formam Scotia facit, sed non exactam, quia in Angliam transitus per continentem datur. Apparet figurâ oblongâ à meridie in Septentrionem, Unde falsus est Ptolomæus in describendâ Scotiâ, qui non in Septentrionem, sed longo tractu in Ortum projicit. Termini sunt à Septentrione Oceanus, Deucalidonius, & Orcades Insulæ: De vocabulo Deucalidonio notandum, falsò ita nuncupari, legitimo nomine appellatur Oceanus Caledonius à Sylva Scotia Caledoniâ, de quâ voce conf. *Buchanan. de rebus Scotticis L. 2. p. 55. & Ricciolum Geograph. Reformat. L. 1. C. 13.* Ab occasu terminum ponit mare Hibernicum, & Hebrides Insulæ: A meridie dirimitur Scotia ab Anglis Tueda fluvio, & Zeviota monte: Ab ortu habet mare Germanicum. De termino longitudinis & latitudinis Conf. *Abrahamum Gölnitz in Compend. Geograph. Lib. 2. p. 205.* Dividitur Scotia per montem Grampium, qui ab occasu in ortum tendit, in duas partes, Septentrionalem scilicet & meridionalem: Utraq; pars in varias alias Provincias, de quibus consule Libellos Geographicos. Hasce Provincias ambit Oceanus, & quidem ita ambit, seq; in Scotiae provincias insinuat, ut nulla sit urbs & domus, quæ ultro viginti milliaria Hispanica distet ab Oceano, si vera sunt, quæ Bertius & Maginus referunt. Varia oppida & urbes in illis Provinciis exsurgunt, sed celeberrima urbium omnium est **EDINBURGUM**, Regia quondam sedes, & totius Scotiae caput, Inter montes sita est, ut Praga in Bohemiâ; salubri gaudet aëre, multisq; opibus est dives, & muro satis firmo cincta. Vid. *Münster. in Cosmograph. L. 2.* In edito quodam monte est castrum puellarum, in quo priscorum Scotiae Regum, & Nobilium filiae manuaris artes discabant, & arctè custodiebantur. Multos quoq; Scotia passim portus habet, & aditus marinis aquis pervios, inter quos tamen Letho portus commodissimus. Vid. *Ricciol. Lib. 10. Hydrograph. p. 455.* Urbes Glasco & S. Andreas Archiepiscopatibus illustres sunt, quibus subsunt Episcopatus 13. Academias habet S. Andreae scilicet & Aberdonensem, sed non sunt ita celebres, atq; illæ Anglicanae, quarum supra meminimus. Et sic finem imponimus dissertationi Secundæ. Sit

SOLI DEO GLORIA,

3.

DISSERTATIONUM TERTIA
DE REGNO MAGNÆ BRITANNIÆ.

§. II. Scotia est Regio aspera & montosa, impeditaq; multis lacubus, montibus & sylvis. Hinc naturâ quidem munita, ut nec Romanorum arma eam unquam domare potuerint; sed frigidum solum, sterile, & non adeò ferax frumenti est. Unde Incolæ maximè pecuariâ re, & piscium capturâ vivunt. *Scaliger* tamen panemoticum, tanquam optimum, maximè commendat, de *subtilitate Exercit. 140. & 200.* Hordeum coqvendæ cerevisiæ optimum profert, & feris referta est. Non enim insuetum plurium cervorum agmina videre. Et testatur *Boterus in Relatione de Regno Scotiae*, quòd Incolæ, urgente necessitate, si caro animantium domesticorum deficiat, feris se sustentare possint. Sic in sylvâ Caledoniâ inveniuntur boves albi, adeò feroces, ut domari nullâ ratione possint, jubam à collo promittentes instar leonum. Cuniculorum etiam magnus numerus reperitur. Unde ad nos magna copia pellium cuniculis detractarum exportatur. Sic pecora & boves magno numero alit. Piscibus abundat, & mare ingentem copiam Salparum, halecum, concharumq; suppeditat, magnusq; Salmonum numerus in fluminibus Scoticis datur. Arbores frugifere paucae reperiuntur in Scotiâ, abietes verò & betulæ abundantius succrescunt. Auri & argenti fordinas non habet, & vix tantum ferri, aut æris, quantum sibi sufficit, invenit. Carbones, quos fossiles vocant, è terra abundè eruit, quibus non ipsa modo in foco ignem excitat, sed & omnibus fermè Europæ Provinciis eos distribuit. Sal ex aquâ marina coqvitur, vulgò *Baye Salt* vocatur, quod à Scotis exteri satis multum accipiunt. Ex his liquidò judicari potest, Scotiæ Regionem opulentam non esse. Non enim, quoniam palustris est & multis sterilibus rupibus distincta, multos Incolas alere potest, & quæ exportantur non sunt multa, recenset ea *Schookius Lib. 9. Belg. fæderat. C. 5.* Carbones fossiles, pelles maximè ovium, boum, canum, cuniculorum, pannos villosos, *Birsej*/plumbum, quod dicitur *Potlod*/ adipè & pauca alia. Mira etiam quædam in Scotiâ reperiuntur. De ave Britannicâ lege *Scaliger: in Epistolis.* Mirum quòd mures non ferat, & importati superstites esse non possint. Reperiri quoq; in Scotiâ prope Edynburgum fontem ferunt, cujus aquis perpetuò guttulæ olei innatant, quod valet contra scabiem, & impetigini cutis medicinam facit. De lacuum miris vid. *Gotofred. in Archont Cosm. p. 372.*

§. III. Incolæ notissimi hujus Regionis ab antiquissimis temporibus fuere Scoti, quibus tandem se adjunxerunt Picti. Scotorum mentionem faciunt Scriptores Latini passim. *Amianus Marcellinus L. 20. ab initio & Lib. 27. p. m. 371. Orosius, Claudianus & Hieronymus Lib. 2. contra Jovian.* Scotos quondam Anthropophagos fuisse testatur. Circa originem primorum Incolarum multa finguntur. Quam plurimi putant, Scotos à Scythis descendere, qui ex Hispaniâ in Hiberniam trajecerunt, & hinc in Scotiam venerunt. Conf. *Buchanan. rerum Scotic. Lib. 4 p. 92. 93.* Qui verò hi Scythæ ex Hispaniâ fuerint, controvertitur.

E

Doctis.

PRÆSIDE
DN. M. GE.
ORGIO
GREENIO,
R. & AUD.
BERNHAR-
DO FRIESE,
Lübecensi.
d. 12. Junii.
H. L. C. Q.

Doctissimus *Camdenus* putat Germanos fuisse; nam Germanos etiam Scythas à quam plurimis populis vocatos esse, *Strabo* & alii asserunt: Et quantum ex lectione *Camdeni* elicere possum, Gentem Scythicam non purè Germanam fuisse censet, mixtam potiùs cum Gothis & Wandalis. Verùm in tenebris hìc versamur, nec ulla veritatis lux apparet, cujus ope ex tanta errorum & sententiarum charybdi emergere possemus. Pictos quod concernit, à pingendi & coloribus oblinendi more dictos esse puto. Id *Claudianus*:

————— *Nec falso nomine Pictos*

Edomuit.

Et *Isidorus*: *Non abest Genti Pictorum nomen à corpore, quod minutis opifex acus punctis, expressos nativi graminis succos includit, ut has ad sui specimen cæatrices ferat, Pictis artibus maculosa nobilitas.* Hos *Hector Boëtius* ab *Agathyrhis*, *Pomponius Lætus*, & alii à Germanis, nonnulli à pictonibus Galliæ deducunt, & Pictones Galliæ eandem cum nostris Pictis fuisse Gentem, *Johannes* quoq; *Piccardus* credit. Ego autem maximè distinguo inter Pictonem & Pictum. Existimat *Camdenus*, Pictos non esse aliundè advectos, sed ipsissimos Britannos, atq; veram Britannorum sobolem, qui ante Romanorum tempora Borealem Insulæ partem infederunt, cumq; Indigenis, quos ibi offenderunt, in numerosam Gentem succrevère, quod ex moribus eorum, & nomine, quo Historici appellant, & lingvâ probat. *Buchananus* rectè judicat, Pictorum natale solum & originem esse quærendam inter illos populos, qui non tantum pingere, sed potiùs in ornamentum acubus cruentis describere corpus solebant. Verùm an ex Galliâ propterea sint adducendi, in medio relinquo. Consule *Buchananum* Lib. 2. rerum *Scotic.* p. 52. & seqq. Picti verò hi demum ab ipsis *Scotis* ita obtriti fuerunt, ut in eorum nomen & nationem tandem transferint.

§. IV. Non ita Incolis referta est *Scotia*, quemadmodum *Anglia* & *Hibernia*, est tamen tantus ipsorum numerus, ut suis defendendis sufficiat; sed pleriq; sunt egeni. *Boterus* in *Relationibus* & *Casparus* *Ens* *Tbesaur. Polit. Apotelesm.* 12. p. 241. referunt, quod facilè 20. aut 30. hominum millia adversus hostem colligi possint. *Ricciolus* numerat 79. Urbes per *Scotiam* in *Appendice Geogr. Reform.* Dividuntur Incolæ in Nobiles & ignobiles, sive plebejos. Inter Nobiles Rex primas tenet. Regi succedit filius major natu, qui Princeps *Scotiæ* dicitur. Porrò sunt Duces, Comites, Barones, & Nobiles Equites. Inter quos primi sunt, ordinis *Cardui*, *Rutæ*, & *S. Andree*, de quibus vide *Franciscum Mennenium Antwerpensium* in *Deliciis ordinum militarium* p. m. 145. In Nobilium familiis primogenitis cedunt paterna bona, reliqui aliunde victum quærere coguntur. Inde fit, quod tam multi *Scotorum* Nobiles in Galliâ & alibi militiæ aut literis operam dent, vel aliis artibus vitam sustentent; cum primis Sacerdotio se parare solent, & plurimi Sacerdotes in *Scotiâ* sunt Nobiles. Non enim *Scotiæ* Nobiles ita ut in *Anglia* artibus illiberalibus se applicant.

§. V. Quo-

§. V. Quoad mores Incolarum divido Scotos in civiles humanosq; , & effe-
ros, agrestes, five barbaros. Civiles nomino, qui meridionaliores versus An-
gliam habitant; feros, qui versus septentrionem positi sunt. Hi sunt
bellicosissimi, armis & linguâ Irlandorum utuntur, & obnixè Patrios ritus de-
fendunt, & antiquam illam barbariem servare ornamentum putant. Civiles
eâdem cum Anglis linguâ utuntur, & civiliores se existimant quàm Anglos ipsos.
Cæterùm valent ingenio Scoti, & sunt viri præstantissimi in omni scientiarum
genere, in Scotiâ nati. *Refert Limneus J. P. L. 8. c. 1. n. 38.* Legem Status Regni Sco-
tici, quæ jubeat omnes Incolas, præsertim Nobiles amplecti studia. Quod ve-
rò non multos reperias, qui in omnigenâ eruditione excellunt, facit res angu-
sta domi. Sordidas artes non eligunt ut Angli, idq; ex animi quâdam generosi-
tate, quam nec in egestate deponunt; ut malint parcè duriterq; vitam agere,
quàm sordidis artibus se applicare. Eandem causam esse credas, quòd rem nau-
ticam non multùm frequentent, putant enim hanc infra magnitudinem suam
esse, & potiùs venaturæ student. In summa egestate stipem petentes genus suû ad
Regiam solent referre stirpem, teste *Boëmo Aubano de moribus Gentium p. m. 358*
Largita est natura corpus induratum ad labores & militiam, nec ita molles
sunt sicuti Angli, vide *Autor. Chronic. M. Brit. de Scotiâ C. 1. p. 6.* Indidit quoq;
ipsis animum fortem strenuumq; , nec hostem, nec vulnera formidantem:
cujus intuitu *Boterus* scribere audeat in *Relatione de Regno Angliæ*, quod Scoti
non egeant propugnaculis, quoniam ipsi animo strenuo sunt & forti. Ad huma-
næ consuetudinis culturam, pariter atq; iracundiam faciles sunt; & vindictæ cu-
pidi, quam nunquam negligunt, si causas & media ad eam invenire possint, cru-
delitatis etiam in hâc parte notam non effugientes. Hunc animi immodicum
æstum sanctissimi ipsorum Reges sæpiùs experti sunt, cum historia Scotica in
Regum suorum albo quinquaginta exhibeat, aut expulsos, aut incarcera-
tos, quosdam etiam in publico capitali supplicio affectos. Ad tumultus, sedi-
tiones & factiones faciles sunt; quæ in Scotiâ diuturniores, quoniam in inviis,
montosis, & inaccessis locis invenit, ubi se conservet, tueaturq;. Confer.
Barcl. de factionibus, quas Rex Jacobus tanquam malum maximum Scotiæ ex-
tirpare maximè allaboravit. Fidelitatis erga principes laudem, quam ipsis Scri-
ptores, & *Gotofredus in Archont. Cosm. part. 1. p. 373.* tribuunt, non detraho;
sed libertatis suæ tenacissimi defensores volunt, ut Rex secundum leges regnet.
Plura vide apud *Barclajum de Scotorum moribus*, qui ipsum latere non potue-
runt, cum familiam suam ex Scotia duceret.

§. VI. Religionem Christianam primò susceptam ferunt à Donaldò Rege
Scotico A. C. 200. Doctore S. Fergusio; & ex illo tempore adhæsit dudum Re-
ligioni Romano-Pontificiæ, nec mutavit animum, nisi post tempora Jacobi V.
Occasionem dedit vicina Anglia, quæ Religionem mutaverat, Tentavit
id negotium, Mariâ Stuardâ minorenni, Regni Gubernator & Tutor Mariæ,

Comes Arania. Quod deinceps sub Jacobo VI. & Carolo I. magis perfectum est. Scoti quidem sub initia Reformationis, disciplinam & Regimen Ecclesie Genevensis, Episcoporum autoritate abrogata, amplexi fuerant; ceterum in quiete Episcopi, donec sub Jacobo VI. mox Carolo I. amissam potestatem recuperarent. Quam non modo recuperarunt, sed & majori potestate aucti sunt, quando à Jacobo Rege Commissariorum Regionum titulum causis Ecclesiasticis seu **JUDICUM CELSÆ COMMISSIONIS** adepti sunt. *Boxbornius hist. univers. addit p. 92.* Sic eadem coepit esse forma Regiminis Ecclesiastici in Scotiâ, atque in Angliâ, nondum tamen rituum erat conformitas. Hanc ergo addere intendebat Carolus I. auctore Wilhelmo Laud. Hujus zelo, ut & aliorum hortatu incitatus, Codicem Liturgiarum, seu communium precationum, & in Ecclesiâ Officiorum obtrudere Ecclesiis Scoticis conatus est. Optimo consilio, cum optimè novisset, ad conservandam unitatem & concordiam Regnorum, Religionis, & rituum conformitatem non minimum asserere momentum. Sed cum eadem tempestate prædia Ecclesiastica, quæ à tempore Reformationis Nobilibus cesserant, & ipsi jam hæreditaria fecerant, repeteret, Seditiones magnas excitarunt, rejicientes non solum Liturgiâ, sed & ejurantes Episcopale Regimen. Motus hosce exponunt *Bateus in Elench. mot. nup. in Anglia p. 102. Jacobus Howel Intimus & Secretus Caroli I. Regis quondam Grammaticus, & Boxbornius in hist. univers. addit.* Nec ipsi modo Scoti detestantur Hierarchiam, sed etiam cum sub Cromwellio Regem Carolum II. repocererent, illas pacti sunt conditiones, ut rata haberet omnia Parlamenti Scira, quibus Regimen Presbyterianum, & Cultus directorium inter alia imperabatur. *Vid. Bateum part. 2. Elench. mot. nup. in Angl. p. 102.* Verum enim vero postquam Carolus II. sceptrum recepit, etiam Hierarchiam Episcopalem restituit, & antiquam formam Ecclesie reddidit, jusitque ut Liturgia reciperetur. Certum tamen est, multos vivere Catholicos in Scotia, & Puritanos seu Presbyterianos, *Vid. Sprengerus in perspicill. p. 770.*

§. VII. Hactenus seorsim spectavimus illa Regna, nunc de conjunctione erit agendum. Hibernia prius juncta fuit Angliæ quam Scotia, facta illa conjunctio sub Henrico II. Angliæ Rege. Huic donavit Pontifex Rom. Adrianus Hiberniæ Regnum, ut hæreditarium ipsi esset, investitura facta est per anulum aureum, Smaragdo decoratum. *Vid. Job. Salisberiensis lib. 4. Metalogici cap. 42* qui hanc donationem ad annum 1156. refert. Sed occupatum est Regnum deinceps anno 1171. ab Henrico II. qui primum vocatus in subsidium à Regibus (erat enim in plura Regna divisum) oppressis potentiâ unius sub specie militantis ingressus est, sed mox eam Insulam subjecit dominio suo, quod narrat *Neubrigensis lib. 2. cap. 26.* (cujus verba apud *Boxbornium* legi possunt p. 734.) & adde, quæ *Thomas Carve in Lyræ Hybernica p. 36. 37. ex Gyraldo* descripsit; quod Henricus II. ab Archi-Episcopis & Episcopis Regni anno sequenti

1572. in perpetuum Dominum Regem & Hæredem Hyberniæ dictus, sigillisq; confirmatus fuerit; atq; instituerit, ut officia Ecclesiastica in omnibus partibus Hybernicis juxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ Anglicanæ celebrarentur. Sic accessit Hiberna & juncta est Regno Angliæ. Quomodo Scotiæ Regnum additum fuerit sub Jacobo VI. exponit prolixè *Thuanus ad annum 1604.* referens Jacobum VI. unum ex duobus Regnis corpus sub nomine M. Britannia, abolitis Anglorum & Scotorum nominibus, constituisse. Imitatus in hoc Æneam, qui Aborigines Italiae Trojanis conjunxit, & ne nominum distinctio discordiæ occasionem daret, utramq; gentem Latinos appellavit *l. i. vius lib. I.* Probant hanc Regnorum conjunctionem nummi, qui tum cusi sunt, hæc verba cœlata referentes. *Henricus Rosas regna Jacobus.*

§. VIII. Vastum hoc Regni corpus non solum in Europâ tria Regna recensita possidet, sed etiam in Indiam & Americam Incolas transtulit; in *Angliam Scotiamq; novam,* in *Neuforlandiam* seu terram novam. In *Verginiam* Tabacciferam, Americæ Regionem, Colonia ductæ sunt duæ, Anno 1606., Ducibus Thomâ Garthesio & Thomâ Reimundo; & deinceps iterum duæ, Anno 1608., Londino, & Plemuthio, Duce Vinofeldo; Hodiè verò aliquot millia Anglorum & Scotorum Regionem illam incolunt. Per Cromwellium accessit Angliæ *Jamaica,* quæ Hispanis quondam parebat. Commodè sita est hæc Insula, & videtur è re Anglorum esse, eam tueri; quanquam sint, qui existiment, vix posse tueri Anglos, propter intemperantiam, quam Incolæ non ferre valent. Sunt etiam Anglicanæ ditionis Insulæ, *Bermuda,* & *Camercana,* (seu Antillas, sive Caribes appellare placuerit). & non ita pridem ferebatur, occupasse Anglos S. Catharinæ Insulam. Magnam præterea partem ex Insulis, quæ *Barbades* dicuntur, tenent; quanquã Batavi illis quasdam, ut *Marette, Nico,* &c. eripuerint. In Indiâ Orientali tenent urbem *Bantam,* propter commercia celebrem. Possident *Promontorium Cap. viridis.* Urbs *Tanger* ad fretum Herculeum Anglis cessit, cum dotem Regi Angliæ promissam solvere non possent Lusitani. Sic Insula *Srieslant* ratione usus, quem Angli ex piscatione capiunt, subjecta illis esse dicitur. Prætendunt & Angli jus ad coronam Francicam, quod Caroli VI. filia Regi Eduardo nupsit; quo nomine post defectum filii in Carolo VIII. ad se coronam pertinere dixerunt; & Gallis legem Salicam, quæ foeminas ab Imperio excludit, objicientibus responderunt: Eam legem esse iniquam, cum Natura æquales fratrum sororumq; fecerit conditiones; neq; hanc externos obligare posse, quare nihilominus utuntur titulo Regni Franciæ Reges Angliæ. *Vide Sprengeri Prætensiones illustres.* Non tamen potentia Anglorum sese solum extendit ad vastas Regiones, sed etiam in mare dominium sibi arrogat Angli. Hinc propter hæc cum piscationem in Oceano Anglicano certum quoddam pectigal ab Hollandis sibi deberi ajunt, hisce rationibus: I. QVod Rex sit Do-

minus

minus maris Anglicani, sicut hoc probant ex literis Eduardi III., qui sibi hunc titulum arrogat; II. Quòd certum vectigal Regibus Angliæ pro maris usu jam antiquitus datum fuerit, III. Quòd peregrini Dominium hoc velorum demissione in mari Anglicano agnoscant; Hollandi è contra regerunt, mare dominio subjici esse contra naturam, quia natura ita magnum fecit, ut omnibus gentibus ad piscationem sufficere possit. Conf. *Lucam de Lindâ, in descript. Orbis.* consulantur, qui de Dominio maris scripserunt, *Hugo Grotius in Libro de Jure Belli & Pacis & in Dissertatione, quam insignat Mare liberum.* Contra quem *Seldenus scripsit Mare clausum, in quo demonstrat, mare posse Dominio subjici.* Idem defendit *DN. D. Strauchius Jctus in Dissert. Academ. De Imperio maris, cujus partibus & nos accedimus.* Sed illud notemus in sententiâ *Seldeni* tanquam minus congruum veritati; quod universum Oceanum Germanicum Anglis subjectum esse statuerit. Quamquam enim terminos Dominio Anglorum maritimo non ponamus; novimus tamen Reges Angliæ sibi non tantum arrogare Dominium, quale & *Seldenus, & Albericus Gentilis* ipsis vindicare satagunt. *Vide. Conringium de finibus Imper. Germ. p. 850.* Conferantur *variorum Dissertationes de Imperio maris in fasciculo, quod edidit Joachimus Hagemeyer Jctus.* Hæ sunt partes, quæ materiam Regni M. Britanniae faciunt, nunc ad formam pergimus.

CAPUT II.

DE FORMA REGNI M. BRITANNIÆ.

§. I. Mixta forma est, quæ hoc Imperii corpus hodiè informat, ita ut in nullo Regno Rex absolutum Imperium & solus majestatem obtineat. Dicemus tamen primò de Regno Angliæ. Observamus nonnullas gentes naturæ quodam instinctu amare nomen Regium; alias deperire paucorum Imperium & detestari regium; nonnullas malle Democraticam formam. Anglicana gens inter eas est, quæ dulcedine Regii nominis capitur. De antiquis Incolis testatur *Tacitus* quod Regibus subditi fuerint. Et certum est subsequentibus semper temporibus Regibus paruisse, & licet sæpius displicuerit Regia persona, nunquam tamen Regium nomen vel dignitas. Refert *Bateus* part. 2. *Elench. mot. Angl. p. 247.* multis Anglos *Cromwellium* instigasse sollicitationibus, ut rejecto Protectoris nomine, Regis nomen assumeret. (Protectores in Angliâ dicebantur, quibus Regis minorennis custodia & Regni administratio vicaria demandata erat.) Sed respuit hunc titulum, partim sequutus exemplum *Augusti*, qui non sub nomine Regis, sed Principis Imperium occupabat. *Tac. lib. 1. Annal. c. 1.* partim quod ipse facile suboleret, hoc nomine circumscribi potestatem, & alligari legibus, quam absolutam affectabat. Lectu digna sunt, quæ
l. cit.

L. cit. Bateus consignavit. Intelligimus Regem imperare, sed nec absolute, nec solus imperat, luceq; meridianâ clarius est, mixtam Imperii esse formam. Olim quidem Regia regebatur formâ, hodiè idem statuere velle, esset errare errorem gravissimum. Mixta est Respublica ex Monarchiâ, Aristocratiâ & Democratiâ; & quidem ita mixta est, ut quædam Rex solus possit, reliqua non sinè concursu Procerum, & Populi quod nunc ordine demonstrandum erit, & despicendum, quænam jura Majestatis solùm penes Regem sint, & quænam communia cum Parlamento & Proceribus Imperii habeat. 1. Feuda omnia mortuo Feudario aut delinquente, ad Regem redeunt, Teste *Georgio Bateo Elench. Mot. nup. in Angl. p. 3.* Maximæ divitiæ ex his feudis ad fiscum Regis refluunt; quod lucrum non negligitur, sed Officialis peculiaris est constitutus, quem Feudarium vocant. Hic in cognoscendis rimandisq; feudis ad Regem pertinentibus, & ad tenuras pro Rege manifestandas tuendasq; operam navat. 2. Penes Regem, ut Patriæ Pater jure audiat, Pupillorû & Idiotarum cura omnis, nec non Regis in peculio eorû reditus sunt; imo per avitas leges, Eo inconsulto, hisce nō est integrum sine gravi censurâ matrimonia contrahere. 3. Habet Rex jus monetæ; constituendi monetæ formam, materiâ & valorem. 4. & penes Regem est potestas instituendi Magistratus, conferendi titulos & Privilegia. Porrò constituit Episcopos, & dignitates Ecclesiasticas Ipse distribuit. Instituit Episcopos; & agnoscunt ipsimet Episcopi hanc suam originem, quando Regem suum Deo & Christo proximum, se verò REGIS GRATIA esse creatos, in literis publicis fatentur. Et cum omnia debeant Regi, in confesso Ordinum à voluntate Regis non facile abeunt. Consiliarios, quos & quanto numero collibuerit, ex Proceribus, Episcopis, Regni Judicibus, & minorû Gentium Nobilibus sibi etiam adsciscere consuevit pro lubitu. 5. Regi attribuitur, militaris disciplina, tum rationes pacis & belli: 6. Leges ferendi potestatem Rex solus non habet, In Parliamentis sanciantur leges. Vigorem verò harum ex æquo & bono temperare & moderari, delictorum gratiam facere, causisq; jure nullo definitis jus dicere, & per se sententiam ferre integrum ipsi est. Hæc sunt Reservata, ut loquuntur Politici, Angliæ Regis, Jam videbimus, quæ illa sint, ad quæ Rex & Parliamentum unâ concurrunt. Scilicet ferre leges, indicere tributa & vectigalia, spurios natalibus restituere, externos inter cives scribere, item ponderibus & mensuris modum constituere: Hæc in Comitibus tractantur, hæc consensu Statuum definiuntur. Neq; Rex matrimonia filiorum filiarumq; contrahere, sine Parliamenti consensu, audet, nec inire ipsemet sine Statuum arbitrio. Observare id liceret, nisi jam aliunde de eo constare posset, in nuptiis Caroli II. felicissimi Regis. Cum ducturus esset filiam defuncti Regis Lusitaniæ, exposuit sententiam animi, quam statuerat, Statibus; & cum annuerent, scripta & consignata sunt pacta dotalia, præsentem Legato Lusitaniæ. *Vid Ernestus Gokelius de Europæis Regibus c. 2 p. m. 248.* In hisce jam memoratis concurrunt Rex &

Status

Status in Comitibus hoc pacto, ut Rex vōtum habeat negativum, non affirmativum. Quod ita exponit *Sprengerus in Perspicillo p. 7. 8.* quando Status aliquid affirmativè decernunt, atq; Rex negativam interponit, irrita est affirmativa Statuum; & nulla rata esse potest sententia, quam Rex voto suo non probavit. Si Status negativè concludant, Regis affirmativa minimè prævalet. Quæ optima est mixtura. Verùm enim verò sicut in mixtis corporibus inter elementa mutuam sentimus pugnam; sic in Rebus publicis mixtis formæ in se mutò agunt, pugnantqve, nisi optimis legibus temperentur, quas tamen sæpius non audiunt. Confirmat id Regnum Angliæ, quod perpetuis semper motibus agitatum est, prævalente modò Populo, modo Rege. Sub Wilhelmo Conquestore i. e. Victore, ejusque Successoribus, magna fuit Regum potestas, magna auctoritas. Quæ postmodum Seculis X I I I. & X I V. decrevit, auctâ populi libertate. Sed mox tempore Eduardi III. qui optimus miles & bellator felicissimus erat, invaluit iterum Regum potestas majestasq; Vocatus quidem tunc ad Concilia Populus, de quo postea, omnia tamen ex voluntate Regis sunt decisa. Verùm, quod fieri solet in Imperiis, cuncta sensim à statu suo recedunt, nisi semper ad principia sua revocentur; pedetentim crevit auctoritas populi, & labefactata sensim est potentia Regia; Præsertim sub Jacobo I. Rege M. Britannia, & maximè sub Carolo I., qui antiqua Regum jura tueri quidem volebat: Sed cum alias magis artes, quam artem Imperandi didicisset, adeoq; eâ, quam sibi hæc res postulabat, prudentiâ destitueretur, perdidit totam cum vitâ majestatem. Et hodiè regnante Carolo II. qui Populo & Statibus cuncta debet, in Comitibus ex Populi arbitrio omnia peraguntur, eo quem explicavimus modo. Sed nunc in specie de Parliamentis erit dicendum.

§. II. Summum in Angliâ concilium dicitur Parliamentum, sive Parliamentum. De vocis origine *Lege discurs. D. Johan. Andrea Gerhard. de Parliamentis Gallia sect. 1. §. 1.* Est Gallicum origine vocabulum: sed aliter Parliamentum dicuntur in Galliâ, ubi suprema justitiæ Curia dicitur Parliamentum; aliter in Britannia, ubi Parliamentum nihil aliud sunt, quam solennes Regni Convventus, seu suprema gentis Concilia, quæ in hunc finem constituuntur, ut in illis de summis rebus in commune consilia suscipiantur. *Adi Milton. cap. 9. Defens. pro Populo Anglicano.* Convocandi illud Concilium jus est penes Regem, & quâ literarum formâ invitare soleat membra Concilii Rex, lege apud *Bateum part. 1. Elench. mot. Angl. p. 9.* Quondam Reges Angliæ etiam pro lubitu dissolvere potuerunt Parliamentum: Sed exspirasse nunc eam potestatem, discimus ex historiâ Caroli; cui id inter alia crimini datum, quod concilia nondum confectis negotiis, dissolverit. Locus ordinarius & regularis, ubi hoc Parliamentum convocari solet, est Londinum. Peculiare ibi palatium in Westmonasterio his Comitibus destinatum est, in quo Status Insulæ conscripti ad nutum Regis convenire so-

41

re solent. Dividitur autem hoc Parlamentum in duas Curias, quas Angli Dominos five Cameras appellant, Superiorem & Inferiorem; quas non loci sed dignitatis ratione ita appellant. *Suprema Domus* dicitur etiã Domus Pariũ, Domus Dominorum. *das Oberhaus* in quã Princeps ipse summus, tanquam Caput hujus Corporis sedet in excelso & augusto throno, sub aureo & serico cœlo. Assident Regi duo Ordines, Episcoporum, & Procerum, Duces, Marchiones, Comites, Barones, qui jure natalium hanc sedendi in comitiis prærogativam tenent. His adjunguntur nonnulli Judices, non ad suffragia, sed ad consilia ferenda. Domus hæc superior Cromvelli tempore planè erat sublata, sub prætextu, quod Respubl. ad populum pertinet. In *altera Camera* five *Domo* communes seu plebeji conveniunt. Inde Domus Communium, Domus inferior, *das Unter-Haus* dicitur; quod ex Equitibus Provincialibus, ex civibus & Burgensibus, plenâ potestate deputatis, constat. Deputati Domus Inferioris duplex ante juramentũ præstare singuli necessum habent, quã in Concilium admittantur; alterum est *Allegiantie* (sit venia verbo barbaro) seu fidei; alterum *Suprematus*; ne quisquam in excelsum Imperii consortium evectus, & augustos cum Rege Confessus, se subditum obliviscatur. Cujus juramenti ultima verba sunt; *Spondeo insuper non credere me, Papam, vel ullam aliam potestatem posse de jure Regem deicere; vel obligatione istius juramenti me absolvere.* Hæc Domus deinceps Oratorem, ut appellant, à Rege primò designatum eligit, qui à membris electus, à Rege confirmari debet. Hic inferioris Domus quasi os & lingua est. Tandem hic Orator nomine omnium supplicat, ut Inferioris Confessus privilegiis uti, & libertate differendi, bonâ cum veniã liceat; Si quisquam sententiam in quâcunq; re disceptandâ vehementius dixerit, Regia Majestas id ipsum non ægrè ferre, nec propterea succensere velit; ut ad Regiam Majestatem pateat accessus, & ad Curiam superiorem, quovis res postulaverit. Instituit hanc alteram Camera Eduardus III., ut nimiam Procerum insolentiam compesceret. Præsentissimum enim tum huic morbo id remedium videbatur, vocare in communionem Majestatis populum; quod hodiè ferè periculosum est, cum major sit Camera inferioris, quã superioris potentia, quod satis luculenter tempora Caroli I. demonstrabunt. Penes hanc utramq; Domum, conjunctim spectatam, omnis Parlamenti vis & auctoritas consistit, adeò ut nulla promulgatio decreti, constitutionis aut edicti Parlamentarij vim & effectum sortiatur, nisi utraq; Domus præbuerit assensum, & Rex confirmaverit. Crebrò & singulis annis coguntur Parlamenta, non autem perpetua sunt & continua. Perpetuitas Parliamentorum sicuti Anglis semper fuit exosa, ita & ingenio eorum convenire non videtur. Hinc graphicè *Anglus quidam; Parlamenta interposita certo intervallo, medicina non victus in modum adbiberi oportet, id enim nisi fiat, nimia adsuædine corpus vitiabunt medendi vix nullam habitura.* Convocationem Parlamenti esse juris Regij & penes Regem,

paulò ante diximus, probant idem *Camdenus* & *Polydorus Virgilius* L. 2. de res-
bus Angl. Philippus Honorius in relat. de Regno Britannia: Sigismundus Waremun-
du vom ickigen Zustand des Königreichs Engelland *discurs. 9. An. 1640. ait: den 3.*
April ward auf Belieben seiner Majestät zusammen geruffen &c. Abutitur hoc
 asserto *Miltonius* ad elevandam autoritatem potentiamque Regiam, admiscet-
 que quædam falsa *Cap. 9. Defens. pro pop. Angl. Si Rex, inquit, Parlamentum*
convocat, ad procurandas res populi non suas, neq; id nisi assensu eorum atq; arbitrio,
quos convocat, quid aliud est obsecro nisi minister populi & Procurator: Sed non
 moramur in refutando *Miltonio*, cum apertè falsum sit, Regem sine assensu &
 arbitrio populi Parlamentum convocare non posse. Pergimus ad quæstionem
 illam illustrem, an *Parlamentum sit supra Regem, atq; Rex à Parlamento judicari*
possit? Disputatum de hoc est superioribus annis inter *Salmasium* & *Miltonium*,
 cum *Carolus I. Angliæ Rex* interfectus esset à subditis suis. Defendere illud
 factum conabatur *Miltonig*, & in causâ malè egit benè ac fortiter. *Salmasius* ve-
 rò illud improbabat, sed in causâ bonâ egit male & segniter, ut judicant *Docti*
 secundum testimonium *Clarissimi Bæcleri in Museo suo*. Scripsit etiam *Magnifi-*
cus D. Zieglerus Patronus & Hospes summoperè Venerandus, Commentariolum
 de hoc themate, quem inscripsit; *Exercitationes circa Regicidium Anglica-*
num & Exercitatione 5. p. m. 110. negat, defenditque: Parlamentum supra Re-
 gem non esse, nec hunc ab illo judicari posse, multò minùs interfici. Huic sen-
 tentiæ adharemus, & pro eâ stabiliendâ non jam adducimus argumenta, quæ
 Principem sanctum & inviolabilem, & Majestatem Regiam nemini esse subje-
 ctam evincunt, subditisq; in omnibus obedientiam præcipiunt. Id nunc addu-
 xisse sufficiat ex legibus & institutis Regni Anglicani, quod Parlamentum si-
 ne Rege nullum sit, nec sine voto & assensu Regis sententiam ratam ferre pos-
 sit, qui ergò esset supra Regem? Audiamus porro *Batei* judicium, quod *Part. 1.*
Elench. mor. nup. in Angl. p. 6. dedit. *Eâ sollicitudine saluti Principis prospiciunt*
Leges, (utpote cujus sit Leges ipsas custodire) ut vel Hæres Regni proximus, quocun-
que, dum privatus esset, crimine flagraverit, quocunq; judicio vel Accusatione impli-
citus fuerit, per mortem tamen Antecessoris (quasi expiatione quadam postliminiâ)
omni pœnâ & reatu eximatur; & solium ascendens, eo ipso absolvatur. Illi qui Re-
gni habenas tenet, id unum sufficit in frantum, quod DEUM ultorem exspectet. I-
 dem judicant *Judices deputati in Angliâ de Henrico VII.* cum ante coro-
 nationem esset condemnatus à *Richardo Rege*. Coronam ipsam omnes san-
 gvinis Oppilationes, quæ Descensum coronæ ullatenus impediunt, deobstrue-
 re, omnes impuritates esse sublatas per coronationem, ut Regi ad expurgan-
 dum operâ *Parliamentaria* non foret opus. *Verulamius in Historiâ Henrici VII.*
p. 27. Quæ omnia satis evincunt, Regem Parlamento subjectum non esse.
 Accedit & aliud testimonium *Batei part. 1. Elench. mor. in Angl. p. 6.* Notum est,
 inquit, *axioma apud Nostrates, Rex nunquam potest errare, aut cuiquam injuriam*
facere.

facere. Et rationem reddit, quod Administris & Consiliariis (quorum est admone-
 re Principem, iniqua volenti denegare operam, aut officio renunciare, potius quam
 contra leges jubenti parere) omnis culpa in Anglia imputari soleat, & omne
 crimen ipsis luendum sit. Hæc quanquam certissima sint, inveniuntur nihilo-
 minus, qui nonnullis argutiis freti, Parlamentum supra Regem ponere au-
 dent. Argumentantur, Lex est supra Regem, & Curia Parlamenti potest de-
 clinare instrumenta, commissiones &c. contra Legem à Rege indulta, Ergo
 Parlamentum est supra Regem. Verùm respondemus: eadem ratione esset
 colligendum, Curiam Cancellariæ, & quodvis Tribunal Aulæ Westmonaste-
 riensis esse supra Regem, quoniam instrumenta Regis contra legem facta reji-
 cit, quod tamen absurdum. Nihil ergo hoc argumento probatur, quam Re-
 gis potestatem certis legibus esse circumscriptam. Et quæ alia sunt, quæ in
 contrarium movent, non magni momenti argumenta, quæ apud Prinnium &
 Miltonem, potissimum legi possunt. Quibus satisfactum tum à Magnifico
 D. Zieglero, tum à D. Gerbardo & Ceo in Diss. de Parlamenti, Davide Jenkins (olim
 Judice in Principatu Walliæ) Tract. quem Legem terræ appellavit. Deniq; ob-
 servabis de Parlamenti & Regis potestate non esse judicandum, ex turbido Re-
 gni Statu, qualis tempore Cromwellii fuit, sed expacato & florenti.

§. III. Quale fuerit Parlamentum in Angliâ sub Cromvvelio optimè ex-
 plicat Bateus part. 1. Elench. mot. nuper. in Angl. p. 189. Imitatus est exempla il-
 lorum, qui ut omnem ad se trahere possent potentiam, Regni negotia commit-
 tebant ineptis hominibus: Sic enim factum est, ut Populus, quando deputatos
 negotiis esse impares intelligebat, gubernacula soli principi committeret,
 Confer. Velleji Lib. 2. c. 95. n. 3. & Bæcleri notas in illum locum. Liv. Lib. 1. c. 35.
 & Zevcotium in notis ad Svet. Julium c. 40. Ita & Cromwellius initiò exclude-
 bat Proceres à Parlamento sub prætextu, quod Respublica ad populum per-
 tineat. Postmodum elegit homines insulsos, inspidosq; Protelarios, Zelotes,
 Catabaptistas, Christocraticos, Democraticos, Fanaticos, &c. quos beneficiis
 fidos & obnoxios sibi fecerat, horum conventui Angliæ Parlamenti nomen in-
 didit. Sed cum manum admovent operi, Proh Deum immortalem! quan-
 ta orta est rerum confusio; quam quidem præviderat Cromwellius, sed spem
 exinde concipere maluit, sic fore, ut Regni gubernacula sibi soli crederentur.
 Leg. omninò Batei discursum.

§. IV. Licet Scotia & Anglia sint duo Regna conjuncta, quodlibet tamen
 sua instituta servat. In Scotiâ, sunt verba Sprengeri in Perspicillo, ab initio, re-
 gunt Angliæ Reges liberius quam in Angliâ, ibi enim habent liberum jus belli, pacis,
 fæderum, præsidiorum & militia, ultra quod soli judicant de crimine lese Majesta-
 tis, occultatione, thesauri fraudulentâ, de pace fractâ, homicidio, latrocinio, rapto,
 incendio, crimine falsi, falsâ mensurâ, falsâ chartâ, falsâ moneta & quæ sunt alia
 meritoria ultimi supplicii; hætenus Sprengeri. Quanquam verò Rex multa



possit in Scotiâ, Monarchia tamen pura in Scotia non datur, sed divisa est inter Regem & Populum Majestas, & tantum sibi sumpsit populus, ut si quid contra leges Regni Rex commisisset, à folio dejectus fuerit. Tributa cum consensu populi indicenda sunt, & leges sancienda in Comitibus. Rex pro lubitu quidem Comitibus indicere potest, non tamen sine populi consensu statuere proponenda in Comitibus: Sed Delegatis ex omni populorum ordine Rex exponere solet, de quibus illi agere visum fuerit, qui si consenserint, ut proponantur populo, exponuntur; si displicuerint, proponuntur minimè; Parliamentum hoc ex quatuor membris constat. 1. Ex Spiritualibus, Episcopis, Abbatibus, Prioribus. 2. Ex Proceribus temporalibus, Ducibus Marchionibus, Comitibus, Vice-Comitibus, Baronibus. 3. Delegatis ex Civitatibus & Burgis. 4. Delegatis ex singulis Comitibus duobus. Tempore Cromwellii excluderentur Episcopi; sed hodiè sedibus restituti sunt. Exclusus etiam fuit quartus ordo, sed sine dubio iterum hodiè restitutus. Ex his quatuor ordinibus eliguntur 32. qui *Domini pro articulis* appellantur; Hi deliberant de iis, quæ proponi debeant, quod prolixius explicatur in *descriptione Reipublicæ & Status Scotiae*, quæ prodiit ex *Officinâ Elzevirianâ*; & apud *Buchananum*. Admissa ut proponantur deinceps ab universo Ordinum conventu sedulo excutiuntur, & quæ decisa sunt, exhibentur Regi, ut vel confirmet, vel deleantur, si Regi displicuerint. Eadem etiam mixtura formæ in Hibernia reperitur, nam & Parliamentum ad Imperii consortium venit, quorum consensu & leges scribuntur, & tributa indicantur; Monarchia tamen in Hiberniâ magis prævalere dicitur, quàm in Angliâ aut Scotia. Et plura nunc de hisce dicere non vacat.

CAP. III.

DE CAUSA EFFICIENTE ET QUÆ AD CAUSAM EFFICIENTEM REFERUNTUR.

§. I. Causa efficiens illa nobis dicitur, quæ Imperium administrat. Hæc vel principalis est, videlicet Rex; vel Instrumentalis, ut officiales, & quæ alia sunt media, quibus Rex tanquam Instrumentis ad finem obtinendum utitur; judicia nimirum, tributum, milites, & porro. Primum agam de Rege; nec tamen descendam ad prisca Evandri tempora, atque repetam Catalogos Regum Angliæ, qui à Conquestore Normanno petuntur; neque indicabo dissidia inter familias Eboracensem & Lancastrensem, seu *Rosæ albae & rubrae*, quæ multa clade Angliam affecerunt; & demum ab Henrico VII. composita sunt, qui ambas Rosas conjunxit, ut hodiè in Insignibus Regum Angliæ, duplicata & plena Rosa conspiciatur. Sic quoque Reges Scotiæ non commemorabo ordine, cum apud *Buchananum* plenior horum historia inveniat. A Jacobo VI, qui primus fuit

29

fuit M. Britannia Rex ducam initium. Hic ex Stuardorum Scotia familia progenitus (lege Buchananum de rebus Scoticis: & Boxhorn hist univ. p. 879. de hujus familiae principiis, incremento, & fortunâ variâ) multâ artium & scientiarum doctrinâ imbutus felicissimè regnavit. Evasit feliciter conjurationem pulverariam ut vocant, à Papistis scelestissimè adornatam; (confer multa quæ illam historiam explicant ex Casauboni Epistolis) conjunxit tria Regna; Episcopos in Scotiam introduxit: Sed Elisabetham filiam, Friderico Latino desponsatam, in exilium ejectam vidit. Jacobo successit Carolus I. qui Martyris elogium hodiè in Angliâ accepit, ejusq; natalis (sic loquebatur primitiva Ecclesia) in Angliâ quotannis celebratur, nec minori festivitate habetur hic dies, quam dies ille, quo *conspiratio pulveraria* (ut vocant) prodita est. Qui hodiè sceptrum tenet, est Carolus II. Primi Martyris filius, qui post multa fata fortunæq; ludibria, quæ primùm in Angliâ, & deinceps exul in Galliâ, Germaniâq; expertus est, tandem paterno & hæreditario throno potitus est. Sed dum nomina Regum in Angliâ Scotiaq; subiceo, illud tamen monere volo lectorem: Demonstrari posse ex historiâ liquidò, quædam Imperantium nomina Regnis nonnullis magis minusve fuisse fatalia atque auspicata. In Imperio nostro sub Carolis semper aliquid contigit novi, quod *Dorscheus* alicubi ex historiâ ostendit. Ferdinandi nomen Hispanis inauspicatum non fuit; Henricorum autem in Galliâ funestum. Sic omnes Richardi in Angliâ perierunt violentâ morte, neque Jacoborum in Scotiâ fata quæquam latere possunt. Evolve dissertationem Histor. Polit. 36. Georg. Hornii.

§. II. Cum Regi soli gubernaculum Reipublicæ & Imperium commissum sit, tenentur ipsi præstare homagium subditi Ecclesiastici pariter atque Politici, docent id non tantum monumenta præteritorum temporum, sed etiam acta coronationis Caroli II. Accedebat Archi-Episcopus, Regiæ suæ Majestati faustis, quæq; præcans, & juramentum subjectionis dicens: Quod etiam omnes Episcopi, Optimates, imò & ipse Regius frater, Princeps de Jorc, in genua procumbentes præstiterunt. *Cestius* in der gefrönten Majestät p. 45. Duo autem subditi jurare tenentur, Fidem, & Suprematum; quod peculiare habet Angliâ. Fidem jurant h. m. quod Regi, Hæredibusq; Fidem, & Allegiantiam servare velint. Eum & illos defendere ad extremum virium & vitæ, & fortunarum eum dispendio contra omnes conspirationes, & conatus adversus personam ejus, coronam & dignitatem. Juramentum Suprematus addidit Jacobus VI. ut insolentiam Pontificiorum compesceret. Nec tantum instituit, sed etiam pro eodem scripsit Apologiam adversus duo Brevia Pontificis Romani, quibus damnabat id genus juramenti, & dehortabatur cives Regni Angliæ, ne juramentum illud præstarent. Prodiit illa Apologia cum prolixâ præfatione ad Principes Orbis Christiani primùm Londini, & secundo Amstelodami, 1609. titulo: *Apologia pro juramento fidelitatis*. Formula



juramenti legitur inserta Brevi primo Pauli V. Pontificis Romani, in citata Apologiâ p. 11. Finis juramenti hujus est, ut ejurent potestatem auctoritatemq; civilem, quam sibi Pontifex in Imperia mundi arrogat. *Conf. Batei Elenchum mot. nuper. in Angl. part. 2. p. 12 13.*

§. III. Rex non eligitur, sed succedit in locum Parentis: Est enim Britannia Regnum successivum & hæreditarium, ita ut ad fœminas etiam devolvatur. Non enim concedendum esse videtur, fœminas Regni prorsus incapaces esse, quod Bodinus Andegavensis & legis Salicæ Affectu judicant. Sit exemplo Elizabetha, quæ satis probatum dedit, minimè mulieris spiritus deesse ad obeunda Regni munia. Hæc novos exercitus scribere, veteres continere in officio, subjectos clementer moderari, hostibus minaciter infremere, prorsus omnia facere intelligebat, ut nihil præter sexum discerneres. Neq; tantum fœminæ succedunt, sed etiam qui maternam stirpem ex Regiâ familiâ duxerunt, propterea Sceptro viciniore habiti sunt. Quod ipsa Stuartorum familia luculenter testatur. Inde optimè Bateus inquit: Demortui statim in solium, velut in cunas, Regius quantumvis Infans transfertur, & legitimo Principi, nec dum inaugurato, tenentur ex veteri instituto omnes omninò subditi. Hac quasi immortalitate quâdam Regnandi, jactitant ferè Leges Regem Angliæ nunquam intermori.

§. IV. Inter Officiales Regni Primi sunt Pro-Reges s. Vicarii, quorum alter in Scotiâ, in Hiberniâ alter sedet. Pro-Regis Hiberniæ major est potestas, quam Pro-Regis in Scotiâ. *Nullibi locorū Pro-Reges liberiore utuntur auctoritate, quàm in Hiberniâ, inquit Sprengerus, in Perspicillo: Ibi enim proprio motu bella gerere, pacem cudere, Magistratus & officia distribuere, crimina præter læsa Majestatis crimen remittere, equites etiam auratos creare possunt.* Non satis id tutum quidem apparet, Vicariis in potentissimis Regnis, præsertim separatis & naturâ munitis, tantum potestatis & jus armorum concedere; unde Hispani suis Pro-Regibus jus fortalitorum, non permittunt. Verum concedendum id erat ingeniis Incolarum, nam propter frequentes Incolarum seditiones coacti sunt Reges Angliæ, tanta in struere potestate Pro-Reges hujus Insulæ; quo suborientes seditiones & tumultus citò possent suppressere. Reliqui Officiales sunt Cancellarius Magnæ Britanniæ, Custos magni Sigilli, Dominus Thesaurarius, Custos privati Sigilli. Vice-Comites sunt peculiaris in quâq; Provinciâ Magistratus annuus, cui incumbit mandata Regia exsequendi vel circa justitiam, vel militiam, &c. Civitates reguntur per Senatam, & Prætorem annum, quem MAJOREM appellant. Eligitur à Civibus hic; Unde solent, qui hanc dignitatem ambiunt, convivia civibus instruere, ut olim Candidati apud Romanos, prensare blandè manus, mittere donaria, atqve aureo emercari vota.

§. V. De Judiciis nunc dicendum, in quibus Judices sedent. Est in Angliâ quod Judicium Parium dicitur. Pares autem sunt, qui sessionem in Domibus

bus

A7

bus Parlamenti habent; hi à Parliamentariis judicantur: Nobiles alii à sui similibus, & sic consequenter, quilibet per suos æquales. *Vid. Nota ad Magnam Chartam Henrici III.* quæ & alia plurima de Judiciis Regni explicant. Sunt prætereà in distributione Tribunalium Regni, (exceptâ Curiaâ supremâ Parlamenti) *Curia Banci Regis*, quæ crimina contra coronam commissa judicat: *Curia Banci communis*, quæ lites civiles: *Curia Scaccarii*, quæ causas ad reditus & proventus Regis spectantes excutit. Prætereà observo in Glossario quodam: *Cameram*, quæ in Angliâ Scaccarii dicitur, esse locum, in quo Judices Majores conveniunt; cum aut à Rege consuluntur: aut propter vota æqualia in Curiaâ minoribus omnes deliberant, & suffragia reddunt: aut minorum Curiarum judicia tractant. (est Scaccarium fiscus Regius in Angliâ, sed quæ origo vocis sit inquiri prolixè *Reinesius Var. lect. Lib. 3. c. 1.*) *Curia Cancellaria est*, quæ causis, quæ mitigationē rigoris Juris, ex arbitrio boni Viri, ad exemplum Juris Prætorii, merentur, assignata est. De *Camerâ Stellatâ & Camerâ Albâ*, quæ eas causas tractant, quæ vel exemplo, vel consequentiâ Regni Statum publicum oppugnare & convellere possent. *Vid. Verulamium in Histor. Regni Henrici VII.* Est etiâ Magistratus excelsus in Angliâ, qui *Seneschallus magnus Angliæ* dicitur; hic pro uno die à Rege ordinatur, cum aliquis ex Proceribus Regni in iudicium vocatur de noxâ capitali. Tandem, ut brevior sim, & *Publicarum Sessionum* non faciam mentionem, indicabo saltem, quoniam sicut *Justiciarii Assissarum*. Sunt Judices Itinerantes, qui statis temporibus Provincias Regni visitant, & causas judicant. *Conf. Sprengerum in Perspicillo & Thomam Smith.*

§. VI. Leges Judiciis subjungimus; cum secundum Leges sit judicandum. Continentur Leges multæ in Magnâ Chartâ Henrici III. quæ *Lex libertatis Anglicana* dicitur: Deinde in Historiâ Regni VII. insperguntur hinc inde leges ab Henrico latæ. Sed omnes in unum collectæ sunt corpus, quod sub titulo *Legum Anglicanarum* prodiit. Utitur enim & regitur Anglia suis propriis Legibus: nec Jure Civili Romano utitur, nisi in *Curia Ammiralitatæ*, quæ exterorum, nautarum præsertim, causas dijudicat. *leg. Arthurus Duk de usu & auctoritate Juris Civilis Romanorum lib. 2. cap. 8.*

§. VII. Nervus & Instrumentum rerum gerendarum est pecunia, quæ in Anglia ex vectigalibus & tributis non in ærarium, sed fiscum Regis colligitur. Ex Scotia quoniam sterilior est, & non ita opulenta, percipit Rex tenuiores redditus quam ex Anglia. Sic ex tributis Hibernicis vel minimum vel nullum lucrum cedit fisco Regis; propterea quod perpetuo miles alendus est, ad continendum gentem illam in officio. In Angliâ vero magna vis opum cogitur quotannis. Accepi ab illis qui in Anglia peregrinati sunt, & notitiâ collectarum expensarumq; acceperant Anno 63. summam reddituum & Collectarum fuisse 1200000. librarum Sterling. Sed majorem expensæ summam videlicet 1500000 lib. Sterling, faciebant. Exhibuerat etiam quidam Canonem illius pecuniæ,
qua

quæ ex vectigalibus accessit; ex importatis puta 910 59; ex exportatis 82162. libr. Sterling. De rebus ex tutelâ pupillorum ad XXI. ætatis annum usq; lege Casparis *Ens Thesaurum polit. part 1. Apot. 12.* Observat verè Comineus de Anglis lib. 5. *Comm. Angliæ consuetudo fert, ut extra ordinem subsidium nullum det Regibus, nisi cum belligerendi causa, vel in Galliam trajiciunt, vel in Scotiam proficiscuntur (addo si hodiè contra Belgas bellum exarserit). Tunc enim libentissime animis auxiliantur, & pecuniam contribuunt, præsertim cum in Galliam itur. Reges igitur qui populi & ingenium & naturam habent exploratam; quoties cogere volunt magnam aliquam vim auri, bellum parant in alterutram gentè, & collectâ nunquam pecunia, quantum satis est in annum, post trimestre copias dimittunt eamq; rationem optimè callebat Eduardus, & non semel est usus illâ* Hæc Comineus. quæ ex *Historia Regni Henrici VII.* magis probari & illustrari possunt; lege quæ commemorantur pag. 166 167. Satis E. firmatum hoc ipso est Regnum Angliæ, quia opulentos maximè incolas habet, & promptos ad conferendum sumptus exigente eos necessitate.

§. VIII. Porro etsi in opibus & divitiis præcipuus Regni nervus consistat, non tamen omne punctum ferre divitiæ possunt. Robore & potentiâ insuper opus est militari, ad hostium violentas invasiones evertendas: lege quæ contra Machiavellum disputata sunt ab anonymo auctore, tract. de Regno. lib. 3. theoremate 26. p. 469. Milite peregrino non utitur; & quod tutum non est; semel enim experta perfidiam hospitem suorum, nunc semper metuit, ne denuò opprimatur, confer Consilium, quod Minister Hispanus Regi dedit de oppugnanda Anglia ap. Casp. *Ens part 2. Thes polit.* deinde quod necessarium non est, cum milite domestico satis instructa sit. Miles Anglicanus optimus est, & fortis bellator; sive ex Anglia, sive Scotia, Hiberniaq; scribatur, quod jam supra indicavi. Sed militia campestris peditatu magis valet quam equitatu; & videntur equi Anglorum ad cursum magis pernicem, quam ad pugnam & militiam esse apti. Sagittariorum fuit quondam militum genus apud Anglos, qui arcibus & Sagittis pugnabant, quorum virtutem insignem sæpè experta est Gallia, & laudat Comineus non uno in loco *Comment.* Possunt Reges Angliæ suos subditos invitos cogere ad militiam, quod Germani *Pressen* appellant. Jam quid dicam de classe Anglorum & militia navali? Certè validam classem semper paratam habent, instructam navibus robustis fortiterq; munitis. Nec est in toto orbe Respublica, quæ classe magis valeat, quam Anglia. Nam si cum Batavis conferas Anglos, plures quidem naves onerarias habent Belgæ, sed Angli plures bellicas, easq; grandiores & robustiores, *schwerere Schiffe*. Operæ pretium erit laudare Discursum germanicum von Macht/ Reichthumb/ Gewalt und Einkommen des Königreichs Engelland ap. *Londorp T. 2. der Reichs Acten cap. 7. tract 11 fol 1240. seqq Casp Ens. T. 2. Thes Polit. Apotel 32. seqq & 257.* quanta sit potentia Republicæ Anglicanæ, vel exinde cognosci posset, quod formidabilem illam Hispanorum classem, exeunte superiori seculo, feliciter confecit, & sæpè adversus

duos hostes satis valida fuit *Metemnius lib. IX. Hist. Belg. & Strada de Bello Belgico.*

CAPUT IV.

DE FINE ET SCOPO REGNI M. BRITANNIÆ.

§. I. Ut hominum non idem omnium summum bonum est; sic neq; Rerumpublicarum idem omnium finis & Scopus. Est v. Scopus, ad quem Respublica actiones omnes & leges dirigit. Aliæ vastum Imperium & extendere Dominiū intendunt, ut Alexander M. quondam, & Respublica Romana, quæ tandem suâ mole interiit *Conf. Trojani Bocalin. relat. ex Parnasso.* Et hodiè Turcarum Imperator, nec non Reges Galliæ & Hispaniæ hunc sibi Scopum fixerunt. Aliæ divitias & commercia intendunt, ut olim Tyrii, Carthaginenses & nunc Batavi. Nonnullæ luxum & voluptates, ut Sybaritarum olim Respublica, hodiè Polonica. Quamquam de illo inter se certent *Nob. Conringius. & personatus ille Franciscus Marinus.* Aliæ quærunt commodū Imperantis, aliæ Populi, aliæ utriusq;. Si hæc ad Rempublicam Anglicanam applicanda sunt, nec bonum in illâ privatum Regis nec tantum Populi quæritur, sed utriusq;. Quod optimum est, Buchananus quidem in tractatu de jure Regni apud Scotos acriter contendit, semper bonum Populi respiciendum esse, bonum autem Principis per accidens. Cui contrarius est Barclajus, qui Principis bonum potissimum spectandum esse defendere satagit. Sed justius & æquius agitur, ubi utrumq; respicitur. Præterea non intendit Respublica Anglicana maximam Imperii amplitudinem. Licet n. in altero orbe ditionem quærant, ille conatus tñ. ex studio mercaturæ potius, quàm extendendi Imperium procedit. Nec luxum & divitias appetunt; sed virtutem cum omnium rerum abundantiam pro Scopis habent. Huc spectant Leges, quas sanciverunt, huc actiones cunctæ directæ sunt.

§. II. Præsuppono tamen & hoc: Primam omnium Rerumpublicarum curam esse, ut libertatem tueantur, nec fiant alterius. Hanc curam quoq; Anglia non negligit, licet sibi à nemine metuat. Non ab Hispanis, nec à Gallis; inter hosce Populos ipsa potius arbitra est. Cum enim Gallia & Hispania sint instar duarum lanciarum, Anglia dicitur esse libri pens sive lingula, quorsum hæc inclinat, ea lanciam prævalet. Ut apud *Camdenum legitur p. 290. in vita Elisabethæ,* quod Henricus gloriari ausus est, cum inter Carolum V. & Franciscum I. arderet bellum, ipse in colloquio ad Caletum instituto tentorio suo affixit tabulam pictam, quæ sagittarium habitu Anglicano & Pharetratum ostendebat, hæc inscriptione: *Cui adhæreo, præest.* Idem etiam tempora Cromwellii nos docent, Neq; metuit sibi à Belgis, postquam Cromwellius Anglis probavit, quod vincere Belgas possint. Lege *Brachelii historia appendicem, & Bateum part. 2. Elench. mot. nup. in Angl.* Pariter nec à Danis Svecisq; est, quod reformidet. Natura ipsa munivit Angliam, atq; iis instruxit mediis, quibus se defendere possit, i. e. milite, armis, portibus, ut nemo eam aggredi ausit, nisi Classe & in mari sit potens.

G

§. III. Hunc

Hunc Scopum, siue sit libertatis cura, siue virtus & omnium rerum affluentia, asse-
 qui non potest Anglia, nisi domi concordiam seruet. Nam si ulla gens est, quæ à seditione si-
 bi cavere debet, hæc certè est, cum omnium maximè ad seditiones prona sit. Id Tacitus de
 antiquis Britannis in vita Agricola. Factionibus, inquit, & studiis trahuntur, nec aliud ad ver-
 sus validissimas gentes pro nobis utilius, quàm quod in commune non consulunt. Et dum
 singuli pugnant, universi vincuntur. Nec ignoravit Carolus I. Rex Britannia quantum de-
 trimenti afferant Angliæ disidia civilia. Hi tumultus, ait, populares, non ut astus quidam, &
 procelle maris, quibus suus tamen terror non deest; Sed velut terra motus, quo nihil horribilius
 extat, fundamenta ipsa convellere & subruere minantur: Et utuntur nonnulli horum tumultuum
 obstetricatione, qui Ecclesie & Republice perniciem meditantur. Idem testata est Elisabetha
 Angliæ Regina Britanniam esse animal, quod capi domarique nequeat, nisi seipsum interi-
 mat, aut mutuis vulneribus conficiatur. Hæc concordia servari debet partim inter An-
 gliam Scotiamq; partim inter Cives ipsos Regni Angliæ. Quod concordiam inter Scotiam
 & Angliam spectat, ipse Jacobus VI. Rex gloriabatur, felicissimè se posse imperare huic Re-
 gno, si Scotiam cum Angliâ haberet concordem. Et idem ille Rex dedit Filio consilium
 in Basilico Doro, quo posset hanc servare concordem: Cave, ne potius eò homines cogere, quàm
 ducere videaris. Itaq; successu temporis & paulatim id fiat: quotidia ne vita consuetudine, & mu-
 tui conjugii fœdere devinctis inter se populis, ut non egrè tandem coalescant. Quod inter has
 duas gentes eo facilius confici potest, quia eandem tenent Insulam, ac religionis & lingvæ unione
 jam continentur. Ita hereditario & prope naturali eorum odio, quod ex diuturnis bellis, cruen-
 tisq; & crebris ortum est preliis, succedet ex hac Politia unionis, rerumq; & mercium communione
 firmissima, & individua eorum inter se concordia. Cujus amicitia (DEO sic gratia) longè
 servatissima jam quod sentimus initia, ex hoc inter Reginam sororem meam charissimam, & me,
 diuturno feliciq; fœdere, quod inde usq; ex quo regnare uterq; nostrum cepit, integrum & inviola-
 tum permansit. Concordiam & amicitiam ut inter cives domiq; quondam conservaret Eli-
 sabetha, pro regula Status posuit extirpare Catholicam religionem, & hujus Affectas, qui sem-
 per novos motus dabant. Hodiè inter Axiomata Status erit, opprimere Fanaticos & Inde-
 pendentes. Eadem Regina bella cum Hispanis alevat maxime. Rationes, quas respiciebat,
 exponit Dux De Rohan in trutina Statuum Europe Discursu 7. Svadet Aristoteles, cum duo sint
 hominum genera in Republica, & qui lucri cupidi sunt, & qui honores affectant, ut utriq;ve
 Princeps satisfaciat; Illis lucrum vel mercatura vel opificiis concedendo; Hisce
 blandè compellando, visitando & honoribus admovendo. Idem certè Rex in Angliâ sibi di-
 ctum esse putet: Nam & curam habere debet mercaturæ; & erga Nobiles se præstare affa-
 bilem. Potissimum autem mercaturæ curam habeat, quia ad omnium rerum abundan-
 tiam comparandam multum facit. Conf. Saavedra in Symbolis Politicis, Symbol 63. Id quod
 Dux Rohanus Loc cit. Monarchis Angliæ inculcat. Item cum ad mercaturam faciendam
 necessaria sint fœdera, necessum est Rex Angliæ cum multis Europæis Principibus amicitiam
 & fœdera ineat. Et hoc nomine cum Imperatore Moscovitarum fœdus sub Elisabetha
 iniere. Vide Camden. in vita Elisabethæ p. 170. Colunt amicitiam cum Civitatibus mariti-
 mis Germaniæ: Nec inutilis & casta est cum Belgis, Svecis, (quam non ita pridem con-
 firmavit) Danis, aliisq;. Deniq; det operam, ne civium numerus in Imperio suo decremen-
 tum patiatur. Vid Forstner. in notis ad Tacitum. Et sic tandem abrumpimus filium Dis-
 sertationis nostræ, Summo Numini maximas ferentes
 gratias.

SOLI DEO GLORIA.

,affe-
ne fi-
us de
dver-
dum
m de-
am. S
ibilius
ltuum
betha
nteri-
r An-
otiam
ic Re-
filium
qham
S mu-
er has
unione
cruen-
unione
longe
S me,
biola-
et Eli-
i fem-
Inde-
iebat,
uo sint
triqve
Hifce
ibi di-
e affa-
ndan-
l quod
endam
citiam
ibetha
nariti-
S fi-
emen-
Dif-
1101
1102
1103
1104
1105
1106

ULB Halle

3

002 682 605



1017







quisq, quo ci
 provolabat.
 gia visitare, Es
 dia adhiberi p
 hac Patrum i
 dentur occipe
 rumq, incerta
 DEO, ad rera
 theatrum qua
 na intervalla,
 dolem, Es quis
 dentiores fian
 conjectura ass
 tum Es Regnor
 tus commemor
 tus, alibi pace
 humanis in ret
 tereant, causa
 scripsit. In qu
 functus esset M
 rum igitur sole
 rum impiam s
 puli, Angli pu
 Es armis infest



llorum tumul
 ones pertimesce
 ddam sidus Rei
 vium volatum,
 pectiones unus
 iceretur, trepidè
 Augurum colle
 e periculis reme
 sulum studium,
 ori auspicio vi
 spicum Ariolo
 na, sed, Auspice
 us vita humana
 m initia, fortu
 ones, populi in
 tuentes, ut pru
 eventus rerum
 tantum civita
 ones, atq, interi
 populorum sta
 nset: Sed etiam
 na Es secula in
 petuo, ut Strada
 praeclare iis de
 lybium. Ho
 alui, quam illo
 otentissimi Po
 ter se disident,
 erutrius natio
 nis

